



Carabr  
for s  
Frid

oo

oo

oo


J

(Angele!)

G. o. 95.



CUM DEO.  
ARTIFICIUM  
ORATORIUM ME-  
thodicè ac compendio-  
sè congestum



*Præsertim Moguntinis*  
*cura ac studio*

JOSUÆ ARNDI.



Anno MDCCCLII.

*Mens. Febr. a. d. XVII.*

WITTEBERGÆ.

CUM DEO

ARTELLIUM

ORATIO

thodice secundario

secundario

VATIS

OSIUM ARIBI

Anno cis de III

1717

WITTEBERG





VIRIS AMPLISSIMIS

*ac Celeberrimis*

DN. AVGVSTO BVCHNERO,  
Eloq. ac Poës. P. P. Acadrm. Witte-  
berg. ac Colleg. Ph. l. Seniori, & Sti-  
pend. Electorat. Ephoro, Dn. Hospi-  
ti ac Patrono suo incomparabili.

DN. IOHANNI SPERLINGIO,  
Phyl. P. P. in Academ. Witteberg.  
Philosophorum Europæ ornamen-  
to & de se suisq; studiis præclare  
meritò Patrono.

OPTVMIS MAXVMIS

S. P. D.

IOSVA ARNDIVS.



E Oratorio artificio ad  
Vos Viros Eloquentif-  
simos libellus iste vel  
suâ spontè properabat,

A 2 cum

cum accedebant privatim merita ac favores Amplissimi, quæ currentem incitabant strenuè. Bien-  
 nium enim ipsum jam est & am-  
 plius, ex quo in Academiam ve-  
 stram delatus utrumque experior  
 talem, qualem vota nulla optatio-  
 rem elegissent. Et vel absq; hoc fo-  
 ret, quantum etiam absens & in-  
 cognitus vobis debebam, qui in-  
 ter eos nomen profiteor meum,  
 quos longè lateq; dispersos ac dif-  
 fitos vestri labores ac ingeniorum  
 foetus addixêre Vobis in perpetuã  
 non observantiam tantum, sed &  
 reverentiã ac obsequiũ. Certè ut  
 ut alibi verũ sit, Præsentia famam  
 minui, tantum abest, ut in Vobis  
 locum vetus verbum inveniat, ut  
 potius omnia majora inveniat,  
 quam præsens cognoscit. Antiqua  
 & longè diffita veneratur vulgus  
 lan-

## DEDICATORIA.

5

sanctiùs, Vos nemo satis æstimare poterit, nisi qui utrumq; & audiuit & agnovit. Plura dicerem, nisi apud Vos dicendũ mihi viderem, quos cum tanta eruditio cõmendat, tum modestia & fuga gloriæ reddit longè maximos. Hoc tamen indulgebitis non mihi sed publici præconij interpretis vicem quasi gerenti; Si dixero, in Augusto te Buchnero agnoscere se seculum planè Augusteum, id est, grave ac disertum & in quo nulla aut styli aut vitæ regnet peregrinitas. In te verò Ioanne Sperlingio illud acumen Senecæ, illum Eloquentiæ nitorem ac Venerem sibi gratulari ævum hoc, quæ olim Roma admirabatur & orbis hæctenus æstimavit in Annæo illo. Cui igitur potiùs hunc Oratorium factum offerrem, quam Vobis, & O-

A 3

ratores

ratores & Viri undiquaq; Maxi-  
mi! Quem si vos eâ fronte, quâ me  
quotidiè susceperitis, jam mihi  
præfagio, omnibus placituum.  
Verè n. magnus est, qui à Vobis  
vel mediocritatis laudem conse-  
quetur, Deus O. M. cui jam tot an-  
nos in celeberrimo loco annos ve-  
stros cû laude impenditis, faxit ut  
diurnetis feliciter. Neq; enim aut  
spei est aut voti, similes vestri secu-  
tura tempora brevi esse nobis da-  
tura. Valete & me, quod facitis,  
porro amate. Dab. V Vitteber-  
gæ è Muséo. CIO ICQ LII. m. Jun.  
a. d. iv.

VV. Ampl. Excell.

Claritat.

Obsequent.

JOSUA ARNDIUS.

AD



7

---

AD LECTOREM  
Benevolum.



O' hodiè, Lector Benevo-  
le, artes & studia ascen-  
dunt, ut desperatum o-  
porteat esse ingenium,  
quod non emergat & sese excitet. Hoc  
in confesso est, nec facile quisquam se-  
cus hoc præsertim sæculo existimabit.  
Unum tamen adhuc desiderari solet à  
veris rei literariæ artibus, idq; præci-  
puum ferè & maximum, & sine quo  
magnus nemo facile aut extitit, aut in-  
posterum in literis erit. Quid hoc tam  
grande tantoq; hiatu dignum, inquis?  
Inventuti non consulitur satis. Nam  
cum sic comparatum sit cum nostra æ-  
tate, ut doctrina nulli sæculo cedat, re-  
quirat & sibi similes fœtus ac libros,  
quos nec ii, qui Inventutem informare

vulgò solent, capiunt satis, nec omnes ipsi iuvenes intelligunt. Hinc passim querela; Eruditè satis scriptum dictumque, modò & perspicuè ac clarè, satis operosè scribi, modò breviter ac distinctè. Sic igitur mihi semper est visum, ita & ad huc videtur, Rectissimè facturos eos, qui sentiunt non sibi tantum sed & publico natos, si quantum ex eruditioribus didicèrunt ipsi, tantum luculentius communicent & clarius cum iis, quos studio discendi flagrare sentiunt. An presens noster labor id obtinere possit, Tui faciemus, Lector candide, arbitrij. Qui si non eruditio- nis, nam hanc mutuatus est ab iis, quorum est illa propria, at candoris & ἀφθονίας saltim laudem à Te expectat. Nec enim sumptus est in illorum gratiam, ipsi qui sibi consulere satis sciunt. Postremò quod si non ingratham tibi hanc opellam nostram fuisse intellexe-  
rimus,

AD LECTOREM. 9

rimus, faciemus brevi, ut compendio-  
sam quoque habeas Historiam Acade-  
miarum & Universitatum Europæ, in  
hoc studiorum genere materiam hæte-  
nus perspicuè & breviter nondum per-  
tractatam; In illo autem sacro, Miscel-  
lanea Sacra promitto, in quibus loca  
N.T. ex antiquitate Ebræa, Græca &  
Romana illustriora explanata sunt.  
Deniq; & multi laboris Indicem Hi-  
storico-Policum Thuanéum, si Deus  
volet, expectabis, in quo aphorismum,  
initio positum, mox exempla verbis  
Thuani subjuncta ordine Alphabetico  
ita digessimus, ut observationum Poli-  
ticarum tanti Viri thesaurus meritò  
sit existimandus. Hisce Vale Lector  
Benigne, & Boni Publici memor vive  
at mei. Dab. VVittebergæ, Anno  
CIO ICQ LII. Mens. Jun. pridie Pen-  
tecostes.

A 5 CVM



CVM DEO.

ARTIFICII ORATORII

PARS PRIMA GENERALIS.

CAPVT PRIMVM.



Vemadmodum in natura rerum ferè singula habent quædam, quorum beneficio & acquiri facilius & conservari rectius possunt, adminicula; sic & Oratoria, sua habet adjumenta atque Præsidia, quibus comparari tanquam præexcitamentis potest. Ea potissimum sunt  
Tria

*LECTIO, IMITATIO, SCRIPTIO.*

De Lectione Cicero præclare l. iij. de Orat. Omnis, inquit, loquendi Elegancia quanquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis Oratoribus ac Poëtis. Augetur autem sic, ut primò copiam dicendi suppeditet,

ret, & animum deindè ingeniumq; ipsū nostrū quodā colore inficiat ejus auctoris quem legeramus. Hoc de se Cicero fatetur lib. 2. Orat. Cum libros, inquiens istos ad Misenum studiosus legerim, sentio orationem meam, illorum cantu quasi colorari. Hoc è recentioribus in Præfat. Carm. suorum confitetur Hugo Grotius, quādo scribit, à lectione aut Statij aut Claudiani aut Horatij ita se incaluisse, ut spiraverit aliquid genium ejusmodi reddens ac præ se ferens. In universum autem id verum esse comprobatur gravis & serius scriptor *Seneca Epist. c. VIII.* Qui scriptorem legerunt, traxerint aliquid necessesse est, quod prodesset etiam negligentibus. Scilicet solet nobis nonnunquam succurrere aliquid ex lectione scribentibus ac dicentibus, quod non expectaveris & efficacia, quam in legentium indole exserit atque operatur.

§. 2. Hoc igitur ut Tyro Eloquen-

A 6 tie

## 12 ARTIFICII ORATORII

tiæ consequatur, opus est ei aliquot  
 observationibus. Animadvertimus n.  
 quotidie à juventute nulla in parte pe-  
 riculosius errari ferme, quàm hic. Vti  
 prout initia se dederint, sic cursus fu-  
 turus est reliquus. Quapropter ante o-  
 mnia lectio esse debet. Vna, i. e. Con-  
stans, nō volatica, aut desultoria, non  
 simplex sed sæpius iterata. Sunt ea ho-  
 minum ingenia, ut imprimi sibi ni-  
 hil patiantur, quod non repetitum hæ-  
 reat sponte. Hære a. quo pacto po-  
 test, quod fugitivo carpitur tantum o-  
 culo? Quasi speculum transeas, ita est  
 lectio non satis inhærens & imino-  
 rans. Tot rerum verborumq; figuras  
 quomodo capiet animus, nisi constet  
 aut quasi quiescat? Quomodo con-  
 templari non potest oculus objectum,  
 quod radiis nictantibus tantum hau-  
 rit, sic nec animus intueri potest satis  
 auctoris mentē, q̄ tantū leviter delibat.

Porro cavendum ab intemperan-  
tia lectiois. Hac laborare deprehen-  
 dimus

dimus potissimum generosas & erectas Iuvenum mentes, quæ ut faciles habent motus, sic & hinc liberæ esse ardent, ubi detrimētosa est libertas. Certi igitur legendi & ii quidem BONI ac PROBATAutores tum Oratores tum Poëtæ. Vtriq; n. constituunt Eloquentiam. Modum teneat meminerit lector, qui pascere cogitat animum. Varia ciborum genera simul in ventriculum congesta sanguinem & humorem lædunt atq; corrumpunt. Nec aliter se habet noster animus, quem quisquis alere cogitat lectione, abstineat eum à cōfusa lectione. Distrahit enim eum librorum multitudo. Nihil tam utile est, quod in transitu proffit. Senecam hinc legi velim, ut auctoritate ejus sapiam? Cirius Epist. 2. & Quintilian. l. x. c. 1. qui non nisi optimum quemq; legendum salubriter monet, & qui credentem minimè fallat? Sed undè sciā ais, quis sit ille optimorū delectus? Fateor difficile est hōc dicere, hoc autem se-

## 14 ARTIFICII ORATORII

culo ferè nihil est expeditius. Tot jam annorum seculorumque testimonio Cicero meruit ob inimitabilem Elo-  
quentiæ vim, ut Primo loco ejus lectio  
inculcetur. Ex hoc haurienda periodus cum suis ornamentis, Latinitas cum sua puritate, Iudiciū cū decēti gravitate. Hunc sic legetis, ut observeis formam ejus styli, i. e. positum verborum, nexum rerum & inventionē copiamq; dicendi. Non potest, quin fiat Orator, cui rectè hic Cicero placet Adjungendi præcipuè hi sequentes: *Cæsar*, *Nepos*, *Livius*, quem jure Historicorum Cice-  
ronem appelles, licet, *Curtius*, *Tacitus*, *Iustinus*, *Seneca*, ad exemplorum scientiam poterit & conferre aliquid *Vale-*  
*rius Max.* E recentioribus scripta *Mure-*  
*ti*, *Scaligeri Cæsaris*, *Heinsij* potissimùm te-  
 ri suadeo, quia & consuetantur castum loquendi genus & docent nos quoq; idem assequi. *Thuani* libros *Historiarum* & *loviij* semper conjungendos esse censeo ab eo, qui in illustri dicere ali-  
 quando



quando cogitat. E Poëtis *Virgilius* ac *Claudianus* palmarij sunt, quibus addi debent *Lucanus*, *Papinius*, ac *Silius Italicus*, quorum hîc ferè quæsiuisse videtur gloriam aliquam ex Oratorio carmine. *Horatius* cave exclusus à me esse intelligatur. Nam quàm plurimum adjuvare poterit dicendi nitorem & similitum ubertatem.

Hæc duo circà lectionem præcipuè monenda duximus.

## §. 3.

§. 3. Sequitur *IMITATIO*, quasi filia matrem. Nam iccirco solemus legere, ut quod ibi placuisse intelligimus, imitari & ipsi studeamus. Imitari autem Ciceronem solum in hoc vos velim, ductu Lipsij, qui id doctissime præcepit in suis institutionibus Epistolicis. Si quem adultum rapit ardor ingenij ad *Livium* aut *Tacitum*, sequatur ille ductum indolis. Nam nulla est oratio laudabilior, quam quæ ab ingenio

16 ARTIFICII ORATORII

nio proficiscitur. Coacta autem & affectata duplici vitio laborat & quod ingrata est, & quod Elegantiæ habet minus. Proinde ut cautè recteq; imitemur, sciendum 1. Quid sit imitandum, in auctoribus, & 2. Quomodo id imitandum.

Tria sunt, quæ imitari decet studiosum Eloquentiæ. Inventionem rei dicendæ, Dispositionem inventarum jam rerum, & deniq; Elocutionem s. colores orationis, quibus pingatur. Hæc consequemur, si diligenter, morosè attentèq; & pensiculatè legemus. Modus a. imitandi non est unus semper. Aut enim 1. Mutamus sensum, quem in Auctore reperimus & retinemus verba, aut 2. Verba mutamus, & sensum retinemus scribentis, aut 3. Sensum pariter ac verba penè eadem, quæ in auctore occurrerunt, retinemus. Aut deniq; 4. Figuram auctoris in aliam commutamus. His quatuor modis observant eruditiores ferè imitationem.

tionem absolvi posse, quæ bona sit & legitima. Nam sic accidere solet, ut id quod antè factum legimus & verbis auctoris descriptū si simile sit ei, quod nos tractamus negotio, commodè ad præsens tempus traducamus, sin dissimile paululum inflectamus, sin omninò alienum, colorem quendam inde mutuemur tamen. Aliàs nulla est laudatior Imitandi ratio, quàm quæ in simili sit genere & negotio pari. Neq; vituperatur ideò statim illa Species Imitationis, quæ diverso auctoris loco ingeniosè abutitur, ut suum eò venustius absolvat sermonem. Solet enim suavitate quadam hoc afficere intelligentem, & auctoritatem conciliare dicenti. Postremò operosè moneo, ut ab omni affectata ac puerili imitandi ratione abstineamus semper.

## §. 4.

§. 4. *SCRIPTIO* perficit & absolvit quodammodo eam, de qua modò  
egi.

18 *ARTIFICII ORATORII*

egi Imitationem. Hanc requirimus in studio Eloquētiæ crebram primò & assiduam ac exercitatam, Nam dicente Cicero stylus est optimus dicendī Magister, & Ovidius verè: Artifices unus qui facit usus erit. Nam sicut crebra corporis motio animū conservat & sese à putredine; sic exercitatio imitationem lectionemq; ingeniorum confirmat. Neque v. hoc tantum, sed et sicut frequentia agendi in quandam naturæ similem vim & habitum ( ut loquuntur Philosophorum scholæ) transit; ut id quod agis, agas quasi sine labore; ita crebra Scriptio efficit, ut Oratio vel requirentem dicere promptè sequatur, vel scribentem fluxu quodam inundet, ut non tam sentiat undè materia accreverit, quam celeritatem in fine admiretur cogitationis. Illa igitur, ut fiat absoluta, egregiè quoque adjuvat Versio s. Translatio linguarum. Hæc facit, ut videamus diversitatem primo linguæ, & proprietatē noscamus sermonis & ad utrumq; parati esse

esse indies addiscamus. Atq; hac tanquã Præ-  
exercitamenta Eloquentia breviter, quantũ sa-  
men satis est Eloquentia candidato, descripta ha-  
stentus.

## CAPVT SECVNDVM.

De

## ARTIFICIO INVENIENDI.

§. I. **A**B hoc artificium nostrũ meri-  
tò ordimur, tanquam fonte  
omnis Eloquentiẽ; Hoc quis quis pro-  
bè perdidicerit, is artifex Orator o-  
mnium suffragio erit, aut certè ab eò  
nò procul abesse, iudicabitur. Primò i-  
taq; hic noster Tyro s. candidatus sciat  
necesse est, in quo verietur inventio,  
quidve ut inveniam⁹ sit ante omnia fa-  
ciendum. Cic. 1 Rhet. c. 2. In excogitan-  
do occupatã esse docet. Oportet n. an-  
te quid animo volutare atq; quodam-  
modo cõcipere, q̃ id possis eloqui or-  
natè aut proferre ita, ut persuadeat. Et  
quo magis diligentius præmedita-  
mur, eò aptius ac penetrantius de in-  
dè dicemus. Quemadmodum Tul-  
lius de se scribit, non ascendisse rostra,  
nisi

20 *ARTIFICII ORATORII*

nisi præmeditatum. Demostheni, quoque idem Elogium tribui solet. Ad horum duorum instar fingendus est artifex; Nam & ipsi fuere summi Oratores & futuris hodiè talibus summo studio sunt exprimendi. *Quamobrem sic animus assuefaciendus est, ut non defatigetur hæc cogitandi opera; Sic memoria est acuenda, ut non statim effluere sinat, quod meditatio imbibit antea.*

§.2. Huic labori inserviunt Loci Oratorij, qui sedes quasi sunt argumentorum, quibus in dicendô utimur. Hos duplicis generis faciunt Rhetores, alios *Inritos*, *Remotos* alteros. Idque ex ipsa rei naturâ. Nam aut est aliquid in ipsa re, quam dicimus, quod eam reddit bonam malamvè, aut accedit aliquid extrinsecus, quod eam variat. Hoc appellatur *Remotum*, & illud contra *Inritum*. Dicitur & *artificiale* & *inartificiale*. *Inriti* sunt duùm Generum itidem, aut enim rem totam, aut rei tantùm partem attingunt. Istius

Istius generis tres sunt, DEFINITIO,  
NOTATIO, ENUMERATIO. Hu-  
 jus v. XIII. numerantur hoc ordine:  
CONIVGATA, GENVS, FORMA,  
SIMILITVDO, DIFFERENTIA,  
CONTRARIA, CONIVNCTA,  
ANTECEDENTIA, CONSE-  
QVENTIA, REPUGNANTIA,  
CAVSÆ, EFFECTYS, COMPA-  
RATIO.

§. 3. Definitio tunc usurpatur cum  
 rem per descriptionem petitam à na-  
 tura ejus & constitutione reddere vo-  
 lumus planiorem ac illustriorem. Vt  
 faciebat Tullius Philipp. I. c. 29. quan-  
 do Dolabellam erudiebat, quid esset  
 vera & constituta apud Posterios quo-  
 que Gloria. Tunc n. à definitione rei  
 eum commovebat dicens; Ea est laus  
 rectè factorū, magnorumq; in Remp.  
 meritorum, quæ cum optimi cujusq;  
 tum etiam multitudinis testimonio  
 comprobatur. Hæc Definitione quasi  
 per obliquum tangebatur ejus scopum,  
 quem à vera gloria abesse longè indi-  
 gitare

gitare volebat. Hanc NOVEM exornamus & amplificamus atq; illustramus modis, quos breviter adducemus.

§.4. Primò fit definitio Oratoria artificiosa & compta per Differentiam, quam Rhetores Modum nominant. Id fit, cum singularia illa attributa, quibus hæc res ab altera essentialiter distat ac differt, rotundo sermone explicamus. Exemplum dat Senec. Ep. 26. & Tull. 2. de LL. c. xxii. Sic Cic. lib. cit. à differentia gloriæ descriptionem extollebat, quod ab ambitione & vanitate nominis tota via distaret, ut quæ consistat in virtute plenis actionibus, in rebus Remp. adjuvantibus, & sic deinceps.

Secundò. Per causas, easq; vel Efficientes vel Materiales, vel Formales vel Finales perficimus definitionē. Cum vel laudaturi vel vituperaturi rem aliquam ostendimus aut auctorem rei ejus bonum esse vel malum, aut materiam esse talem, aut à forma ejusdem



dem qualitatem ejus depingimus, aut denique à fine. Quæ cum conjunctim in unam definitionem conveniunt, plenam efficiunt & Oratoriam. Nisi quod cavendum hîc maximoperè, ne Logica aut Dialectica ratione fiat; quod evitabimus, si tanquam aliud agentes, aut vario verborum ambitu circuloquætes definitionis membra adducamus.

Tertiò. Per Affirmationem præmissa Negatione evertã. Quod fit, cum eam assertionem in finem reservamus, quam vehementem esse cupimus, & præmittimus negationem sive remotiorem ejus vitij, quod rei isti inesse nulloatenus, ostendere volumus. Sic Cicero pro Domo sua c. 89. Populum Romanum ostensurus esse omnium honestissimum splendidissimumq; remonet prius per acrem interrogationem ea, quæ apud Romanos non tolerari aut reperiri facile volebat persuadere. Quo artificio & utitur pro Milon. c. 91. & Philipp. Orat. III. c. XII. & alibi sæpiuscule.

Quartò.

24 ARTIFICII ORATORII

4 Quartò. Per Congeriem cum repetitione connexam. Quod fit, quando varia congero & conjungo, quæ crebra iteratione identidem repono, & demùm concludo, quod si istud omne velimus in una quâdã effigie contemplari, ut rem præsentẽ intueamur. Vt inur enim hoc artificio frequenter in Laudationibus aut Vituperationibus.

Quintò. Per Adjuncta. Sunt autem adjuncta, quæ rei agglutinata eandem ferè semper sequuntur. Vt cum Doctrinæ adjuncta, honorem, elegantiam, voluptatem esse dicimus, Ignorantiæ, auctoritatem nullam, contemptum, cæcitatem mentis. Hæc in oratione adjicimus rei definiendæ, tanquam ad persuadendum idonea argumenta.

Sextò. Per Contraria. Quando in definitione ut sit illustrior clariorque contrariarum rerum mentionem facimus, ideò, quod juxta se positæ res ejusmodi mirum quantum eniteant  
atque

atque effulgeant magis, quàm si solæ nudæq; essent auditori objectæ. Vt si quis pietatem cum impietate, aut Milonis virtutes, cum Clodij vitiis, aut Ciceronis vigilantiam cum Catilinæ factionibus copulet.

Septimò. Per Similitudinem. Hæc ad voluptatem suavitatemque definitionis ut plurimum confert. Et desumi debet à congruentia rei utriusque cum altera, tàm quæ transfertur, quam ea ad quam transferitur. Sic Fortuna, Pilæ, vita nostra, Flori, iratus, leoni, &c. assimilatur. Quâ uti possumus ferè in omnibus causarum generibus, sive commendemus sive persuadeamus sive accusem⁹. Quod cujusvis iudicio cõmitti debet.

Octavò. Per Effecta. Cum eventum rei auditori ob oculos ponimus, aut quid consequatur tandem, declaramus. Sic Otij effecta, vitia & flagitia, animi putrescentistabes & occasio omnis mali esse dicuntur. Locus est ap.

Cic. Phil. VIII. c. 12. ubi Pacem Caleni negat esse pacem, quod cum servitute necessariò sit coniuncta.

Nono. Per comparationem cum personam unam cum altera, aut vitiù cum vitio, aut virtutem cum virtute comparamus, sic, ut eam rem quam tractamus & de qua dicemus semper aut meliorem aut pejorem, prout tempus postulat, esse evincamus.

## ENVMERATIO

### §. I.

§. 1. Est unius rei, in suas quasi particulas & lacinias dissectio.

Nec una est, aut simplex, sed vel recenset partes totius, vel dividit genus in suas species. Hoc appellatur Distributio, illud divisio, s. Partitio. Sic in consolatione ad amicum vel propinquum, sunt Liberi, Coniux, Parentes, apud Cic. Philip. 14. c. 34. Sic ap. Plinium in Panegyri. aetas recensetur, per  
Par-

Parvulos, Iuvenes, Senes, sic civitas dividitur, in curiam, Municipia, Plebem Sacerdotes &c. *Talis enumeratio in servis amplificationi.* Reddit enim copiosam & variegatam orationem. Exemplum quoque habet Martial. lib. V. epigr. XLIII. Vbi hoc Generale, opes eripi possunt, per enumerationem specierum amplificat.

Callidus fur auferet nummos,  
 Flamma comburet Lares,  
 Debitor negabit creditum,  
 Seges frustrabitur annum,  
 Vnda obruet navem  
 Amica spoliabit dispensatorem.  
 Sic Cicero pro Plan. c. XXI. gratitudinis præstantiam artificiosè commendat, dum enumerat virtutes reliquas, quare quasi genitrix & Mater ipsa sit. Utimur frequenter in Panegyricis, Laudationibus ac Increpationibus, (ut Cic. contr. Pison. c. 53.)

§. 2. Vt autem hoc decenter & cum aliquo ornatu ac Venere fiat, tenendæ sunt aliquot artes, ac subtilitates, ut sic dicam, quibus id effici queat ac præstari. Primò itaque solet nonnunquam Genus omitti, & species tantum recenferi, Aut, Totum reticemus & Partes commemoramus. Deinde instituitur comparatio quædam rerum dissimilium, quæ ex diversitate circumstantiarum assumpta materia dicendi prolixè enumerantur. Vt cum Cic. Pison. c. 53. reditum Pisonis comparat cū feliciore alterius adventu, tum enumerat fusè & diligenter, non venisse ei obviam Legatos, Cives, Amicos. Porro per Affirmationem & Negationem doctè hæc Enumeratio exornatur. Quod fit, quando rem quam tetricam esse, ostensuri sumus, dicimus negari ab omnibus pulchram esse, & illos omnes quinam sint, recensemus. Cic. iv. Philip. c. 9. aut contrà, Laudari ab

ab omnibus contendimus, ut sine crimine rejici ac contemni à nobis quoquoq; non debeat. Cic. post redit, ad Quirit. c. 2. 3. 4 5. & seq.

§. 3.

§. 3. Amplificatur hæc iterum per enarrationem Effectorum, Adjuntorum s. circumstantiarum, Consequentium & cæterorum id genus confectariorum. Idque beneficio aut interrogationis ut ap. Cic. pro dom. c. xcv. aut Oppositionis, quæ est contrariorum explicatio, aut prætermisionis, quâ ostenditur, nihil esse, quod non idem nobiscum tacitè dicat. Exornationi inservit Apostrophe, Exclamatio, Ethopœia cæteræque figuræ plures, quarum commoditatem Iudicium Oratoris facilè videt.

NOTATIO.

§. I.

Hæc desumit vim argumenti ex ipso Nomine. Vt cum Cic. Philip. iv. le-

B 3 gio-

gionem Martiam ait videri sibi divinitus nomen ab eo Deo traxisse qui gentem Romanam condiderit. Et iterum VI. in Verrem, cum ad nomen Verris alludens Everriculum Provinciarum eum esse argutè vult persuadere. Sic de voce & Nomine Popularis ambitiosè disputat I. in Rull. c. IX. & pro Rabir. c. II. 14.

## §. 2.

Vtimur, quoties virtutes alicuius aut vitia ex nomine demonstrare volumus, ut si quis Cæsarem fortem esse dicat, & id pridem hostes docere debuisse nomen ipsum, quod à cædendo habeat Imperator. Sic per convicium Caldius Biberius Mero Romæ appellatur, qui dicebatur, Claud. Tiberius Nero. Sic Christianos, Carolos, diceret aliquis illos à pietatis, hos à virtutis militaris studio & præsentia animi invenisse nomina. Quemadmodum Cicero pro Amerin. Chryfogonum avarum esse persuadere conabatur ab ipsius



sius nomine, quod Græce sonat notat-  
que Auri filium.

## §. 3.

Hoc caveat noster Tyro, ne inepta  
sit allusio & frivola. Debet enim ex vi  
& tacita quadam nominis consonantia  
ac significatione esse desumpta. Quan-  
quam non opus est ut orator semper  
fidem historicam habeat ante oculos.  
Sic non erraret, qui Cæsarem à cæden-  
do dictum Oratoriè diceret. Etiam si  
sint qui aliud docent.

Et hæc breviter pro ratione nostri  
instituti de locis rerum insitis Genera-  
libus. Sequuntur nunc quoq; loci re-  
liqui Particulares.

## MEMBRVM SECVNDVM.

## §. I.

Locus coniugatorum.

§. 1. Hæc appellant Rhetores con-  
jugata, quæ ab uno orta variè inflectū-  
tur ac derivantur. Qualis locus est in  
Prologo Plaut. Amphitruonis, justè  
ab justis justus sum orator datus. Vbi  
justè & justis & justus sunt conjugata.

32 *ARTIFICII ORATORII*

§. 2. Hisce utimur artificiosè potissimum cum in Adversarium aliquod argumentum contorquere volumus, aut quoties commendare aliquem est animus aut vituperare, quod Cicero fecit Orat. pro Marcell. c. xii. ipsam victoriam vicisse videris, cum ea quæ illa erāt adepta victis remisisti. Potest & hoc fieri in objurgatione. Ut si dicam, Non videri hoc esse religiosi, religionem cum profiteatur, non vivere tamen religiosè. Sic tritū est illud. Mortales non oportere cum sint mortalitatis mancipia, immortales gerere iras. Multum quoque hoc facit ad exaggerandum elevandumque negotium, ut, non cum improbo, sed cum improbitate mihi decertandum sentio. Præsertim si varia hujus generis conjungantur in unam periodum. Græci in hoc artificio sunt felices. Sæpè etiam ad delectationem adhibetur, ut si festivum, velim describere, dicam, Ita lepidum esse caput, ut lepores omnes videantur

deantur lepidè eum festiveque inha-  
bitare.

## LOCVS GENERIS.

### §. I.

§. I. Latissimi est usus hic locus, ut patet ex iis, quæ supra in Enumeratione diximus. Et in omnibus ferè causarum Generibus artificiosè adhibetur, potissimum tamen Cicero in Accusationibus & insectationibus eo usus fuisse videtur.

§. 2. Primò igitur, *Ascendimus à specie ad Genus.* Quod fit cum ad ea laudanda progredimur quæ sub genere continentur. Ut cum Cicero pro Arch. Poësin commendat & literas illas politiores, ac deindè ad Poëtæ commendationem delabitur Cap. XIX. Aut contra cum in Antonio, in Verre, in Pisone, furtum, audaciam, rapinas, insectatur, ut inde fortiùs premat eum qui his sceleribus esset contaminatus.

B §

§. 3. Se-

## 34 ARTIFICII ORATORII

§. 3. Secundò. *A genere ad speciem descendimus.* Quod in Exordiis facere Tullium annotant Eruditi. Hoc fit, cum Generalia adducimus, & specialia deinde commemorantes, ea præ cæteris extollenda esse persuademus. Ut quando Tull. Orat. pro Dom. Omnia majorum Rom. Pop. instituta moresq; commendat, ideò, ut mox evincat, præstantissimum quoq; & hoc esse, ijdem ut sint Sacrorum & Rei. antistites ac Præsides.

§. 4. Generale hic monitum est. Amplificari probationem nostram si genus Loci & Temporis & Testium & reliquorum talium adjunctorum addamus ad evidentiores rei, de qua agimus, demonstrationem. Ut si quis hodiè atrocitatem supplicij Anglici in Rege velit ostendere, is assumat, esse infandum, nefariumq; scelus occidere Regem probum: sed hoc in auditum esse, coram sole ac die capite trunco impacto tanquam perduellem & privatum

vatum, recitata sententia, condemna-  
tum, eductum, desertum ab omnibus  
trucidare.

### LOCI SPECIEI.

#### §. I.

§. I. Quæ huc singularia faciunt ea  
ferè in loco generis dicta iam ante sūt.  
Vtimur autem eo eleganter in incre-  
pando, laudandoque. Idq; hoc modo:  
*Assumo genus ut speciem veram esse ostendam,*  
*dico, luxuriosum esse, astutum esse, ergo &*  
*scortatorem, quia venter mero æstu-*  
*ans facile despumat in libidinem & ad-*  
*ulterum. Ergò quoq; malevolum esse*  
*& invidum, quod hæc sint callidorum*  
*ingeniorum propria.*

§. 2. Amplius & illustrius hoc fit,  
cum multa singularia coacervamus, ut  
universale inde eliciamus. Sic ostensu-  
rus, Tyrannum nullum sicca morte  
perire, adduco Phalaridem, Neronem,  
Decium, Domitianum, Phocam,  
miserè omnes occisos ac sublato,  
Locum speciei ornat sermonis

36 *ARTIFICII ORATORII*

prolixitas & ubertas, Locum a. generis quædam stricta & nervosa Brevitas dicendi que acumen. Habet enim affinitatem proximam cum Loco Generis.

*LOCVS SIMILIVM.*

§. I.

*Conf. Buchner. De verb & Rer. Cop.* §. I. Huc pertinet alter quoque *COMPARATIONVM.* Habent enim Comparatio & similitudo aliquid cognati. Simile omne rei, cui applicatur; qualitatem describit, comparatio quantitatem ferè ac magnitudinem illustrat. Sic res gestæ comparantur Heroum, Vitia sceleratorum, Merita Civium bonorum.

§. 2. Utimur quoties illustrare & majorem reddere rem quampiam volumus. Nam omne simile illustrat & explanat, Comparatio verò omnis intendit atque exaggerat. Est a. varia similitudo, Aut enim in verbo consistit & est Metaphora, ut cum dico, Sol Eruditorum, Aut consistit in rei qualitate & est

& est diducta ac explicata Metaphora, ut, sicut radiis Solis undiquaque sparsis hoc inferius mundi tabulatum refulget, sic & doctrinæ luce totum ferè hunc orbem Heinsius irradiat. Aut depingit aliquid, e. g. Iracundi hominis habitum, furorem amantis, & est IMAGO, ac breve simile. Aut rerum diversarum aliàs, in uno tamen aut pluribus convenientium conjunctione aliquid docet, & est Parabola. Omnibus hiscè Oratoriè utimur.

§. 3. Idque his præcipuè modis. Vel comparamus, ut Iovem cum Augusto, ut Horat. fecit, Eloquentiam cum flumine, Linguam cum clavo & freno; Vel constipamus Exempla & ea inter se conferimus, ut id quod nostri est propositi postremò extollamus, ut si quis Pompeij, Luculli, Grassi, divitiarum opumque meminerit, ut Cæsaris reddat altiores. Vel inductione utimur, & rerum plurimarum in unum collectione & per certa mēbra dispo-

B 7 sitione

sitione facta præsens negotium de quo dicimus, ex ornamus ut in illo:

Elephas grandis est }  
 Leo fortis est, } & occiditur  
 Tigris ferox est }

Cave igitur omnes, si singulos non times. Si enim evolvatur hoc, simile emerget tale: Quemadmodum ô Tyranne, vasta moles corporis elephantū ab uno defendit, à pluribus non, sicut leo robore suo tutus est à plurium insidiis, non tamen omnium, aut velut tigris ferox est & rapidi cursus, effugere autem omnes non potest, ita nec tu etiam si à multis possis cavere, non tamē adversus omnes te securum munitumque crede.

§.4. Dissimilium eadem est tractatio. Nam quemadmodum similitudo occupata est in Affirmando, sic hæc dissimilitudo in Negando potissimum usurpari solet. Eam exornat Tyro, cum opponit sibi invicem aut res aut per-



personas dissimiles. Ex oppositione Ciceronis & Catilinæ, Augusti & Tiberij mores & dotes utriusque quales sint patefcunt clarius, quam si nudè commemorentur. Ex oppositione audaciæ & fortitudinis, clementiæ & Tyrannidis, utriusq; bonitas & vitiofitas exsplendescit magis, quàm si alterutrum solum adhibeas.

## LOCVS OPPOSITORVM.

### §. I.

§. 1. Contraria, ut jam tetigimus, juxta se posita, elucescunt magis. Hæc cū Repugnantium loco conjungemus, quia cognata sunt & artificium est penè idem, certè usus amborum non differt. Vtimur enim præsertim in contentionibus. In excusationibus autem frequens est repugnantium usus.

§. 2. Artificiosè Tyro opponet mēbrum membro. Quod fit e. g. si quis  
anti-

40 ARTIFICII ORATORII

antiquorum seculorum artes cum nostri doctrina conferat & ea sibi invicem opponat, dicet: O seram ab annis sapientiam! Tunc molæ nullæ, aratra nulla, domus exiguæ, stabula misera, templa, scholæ ferè nullæ, horologia, navium amusia nulla, &c. At hodiè quàm commodè sapienterque his utimur. Hoc altiùs penetrabit, quàm si dixisset simpliciter: *Hodiè commodiùs vivi quàm olim.* Porrò, opponet Studiosus Eloquentiæ verbum verbo, e.g. Pium creditis Papam, Reges, Atheus est, Vicarium Christi esse existimatis, Hostis est ejusdem, Episcopum judicatis esse? Lupus est non pastor. Et sic deinceps. Idem ad alia quoque extendi potest. Tertiò opponetur etiam ubi opus erit, Persona Personæ. Vt, Petri successor esse debet Pontifex? Adversatius est. Petrus pauper, ille Rex est, Petrus minister verbi, ille servus ambitionis. Petrus Doctor populi, ille Seducator. Sic in Panegyrico Plinius cū  
Tra-

PART. I. CAP. II. 41

Trajanum volebat ostendere esse Clementissimum, ostendit, eum diversissimum à Caligula, Nerone, &c.

§. 3. Repugnantia, i.e. tales res quæ stare simul eodẽ tempore nequeunt, ita doctè usurpabit noster candidatus, si Primò singula singulis opponet, & deinde diversa Diversis. Ut cum persuadere volet, Non amari se ab amico, dicet, Immemorem mei vitam silentio transigis, mandatorum meorum rationem susq; deq; habes, adversariis meis operam addicis, aliena à meis consilia tractas & adjuvas, & inter meos numerari voles imposterum? (Nam hæc omnia cum amore aut amicitia non consistunt, atq; iccirco sunt Repugnantia) Elegans igitur & penetrans est hîc artificium, quo & docere auditorem & refutare adversarium, & ostendere laudes alicuius possumus. Ut Cicero fecit 7. in Verr. c. 84. Orat. pro Dom. c. 4. Pro Cœl. c. 45. & alibi passim.

LO.

## LOCVS ADIVNCTORVM.

## §. I.

§. I. Adjuncta sunt, teste Quintiliano, vel Rerum vel Personarum. Illa Causæ, Consilia, Promissa, Minæ, &c. Deinde Locus, Tempus, Modus & Instrumenta. Personarum sunt secundum bona illa triplica *Corporis, Fortunæ, Animi* consideranda, ita huc pertinent, Divitiæ, Affinitates, Forma, Valetudo, Prudentia, & animi sive ad bonum sive ad malum inclinatio. Ex his jam argumentatur noster pro ratione dicendi.

§. 2. Utimur autem præcipuè in Iudiciali, quoties vel excusamus vel defendimus, vel refutamus & convincimus, vel deprecamur & ad misericordiam confugimus. Sic ab ætate Cælii excusat Cicero, cum dicit, non videri eum esse virum nunc, quem adversari<sup>9</sup> dicit, qui in adolescentia tam fuerit probus. Sic à loco Clodium ostendit animum habuisse occidendi Milonem

cap. 54. Sic & à sanctitate templi in odium adducere conatur cap. 91. Sic in Antonium invehitur quod vomuerit strenuè, cum Magister equitum esset.

§. 3. Nonnunquam & in Deliberativo ejus est usus. Cum ex adjunctis naturæ aut animi consilium & intentionem adversarii non expedire reip. aut Regis salutis & civium commodo declaramus. Vbi sæpè quoque materiam præbet natio aut solum patrium. E. G. Si quis hodie in Gallia persuadere Regi velit, Cardinalem Italum non esse Consiliarium fidum, dicet, Nullum Italum cum ingenio Gallicæ nationis fideliter posse agere, quod sint eorum animi longè diversissimi. Illi subdoli & tardi, hi aperti & celeres, illi lenti, hi ignei, illi Monarchiæ impatientes, hi à tot annis regibus sucti parere &c. Prolixè hæc patent, sed nos hac vice artificium tantùm ostendimus & quasi digitum ad fontem eloquentiæ intēdimus.

§. 4.

§. 4. Hi igitur sunt splendidissimi Inventionis Loci, ex quibus quomodo prius materia sibi invenienda sit & excogitanda, noster satis videt. Pleniorrem hujus rei cogitationem suppeditat *Caussin* de *Eloq.* & *Buchner*. de *Rerum Copia. Membr. 2. qui sunt adeundi.* Ingenio autem illustri hæc scire hæctenus arbitramur esse sufficiens. Quare ad artificium disponendi nunc Candidatum nostrum bono cum DEO deducemus.

## CAPVT TERTIVM.

De

DISPOSITIONIS  
ARTIFICIO.

§. 1. **P**ostquam Candidatus noster jam quasi ligna & cæmenta, quibus ædificium hoc Eloquentiæ extruat, adquisivit; nunc porrò operam dare debet, ut aptè omnia construat & concinnè singula proponantur; ne quid ingratum auditori sit compositione

sitione rerum non cohærentium, aut injucundum collocatione argumentorum minùs erudita & diligenti. Omnia enim adhunc finem dirigenda sunt in Eloquétia, vt placeat Oratoria nostraei, apud què dicim⁹. Nō n. psuadere poterit ea oratio, q̄ nō antè placuit ei, cui⁹ causa est suscepta. Vnde solem⁹ duo requirere post inventionem, primò aptam, & à Iudicio limato profectam membrorum dispositionem, ad deinde elegantem eorundem Exornationem. Vtrumque quia conexum in actu ipso Oratorio esse debet, nos itidem hic conjungemus semper, quantum existimamus hujus convenire ei, qui citra vituperiū in publicum prodire aliquando volet. Nam *omnia ad umbra pulverem i. e. minutas observatiunculas congerere ac compilare, à proposito nostro tam est alienum, ut nihil possit magis.*

§. 2. Est igitur DISPOSITIO, Ciceroni de Invent. I. c. 5. Rerum inven-

46 *ARTIFICII ORATORII*

ventarum in ordinem dispositio. Cum autem duplex dicatur à Tullio & quæ à natura ipsa proficiscitur, & in illis sermonibus conspicitur, qui quotidie cōferuntur, & quæ ab arte pro manat, sciendum est de Dispositione hic agi Oratoria, quæ absque artificio esse aut constitui non potest.

§. 3. Ac initio quidem agitur de Exordio, quo pacto orationem nostram, qualiscunque illa sit, inchoare debeamus ita, ut occupemus vel Iudicem vel Auditorem. Vbi Generale Rhetorum hoc est monitum, Leniores Affectus dominari in Exordijs, in fine v. seu peroratione vehementiores. Quanquam in Invektivis non semper hoc observaverit Tullius, quantum colligimus ex Catilin. 2. quam motu omninò gravi exorditur. Videndum igitur hic nostro, & utendum est Iudicio, quando unum quodque deceat & scopo inserviat. Nam præter illum sequi præcepta, stultum planè foret atque ineptum.

§. 4.



## §. 4.

§. 4. Ideoque quemadmodum Exordium est propter Auditores, ita quoque temperari ita debet, ut ijs occupandis sit aptum. Vt hoc fiat, tenendum, esse nonnunquam tempus & locum, quando omitti aut abesse potest Exordium. *Nam cum duo sint, quae exordium constituunt, natura & doctrina, duo quoque inde emanant Exordiorum genera, ex abrupto alterum, alterum elaboratum.* Priori locus est eoque uti solitos deprehendimus Historicos in casibus, qui moram pati non potuerunt. Sic in allocutionibus militaribus non semper Exordio usos Duces animadvertimus apud Livium, Tacitum & Curtium. In objurgatione, Increpatione itidem omissa legimus. In rebus quoque privata concernentibus, petitionibus, querelis, acerbis dolore & ei accommodata oratione defunt saepe, quia hujus acerbitas non solet admittere meditationem

Ex-

48 *ARTIFICII ORATORII*

Exordio competentem. Posterius iusti Exordij nomen habet, de quo copiosè Hermogenes I. I. de Inv. cap. 10.

§. 5. Circa hoc ante omnia notandum, ut è natura rei, è circumstantiis causæ & medulla, ut sic dicam, negotij, cui præmittitur, desumatur atque in brevi quasi totam orationis vim delineet & proponat. Sive sit occupatus noster in laudando, sive deliberando sive accusando, sic ubique meminerit, attemperet Exordium, ne à causa sua alienum, neve delphinum silvis appingat, fluctibus aprum, aut humano capiti cervicem stultus equinam apponat, *quod Horatius eruditè monuit.*

§. 6. Summatim igitur & tanquam in tabella rudi stylo depingemus nonnulla Exordiorum argumenta, qualia sunt I. ab Adjunctis, ut sunt à persona propria, vel Auditorum vel defuncti, si parentam<sup>9</sup> vel viventis, si panegyricum pangimus. Vbi aut se excusat Orator,

tor,

tor, aut commendat dicendum, aut à  
 lætitia vel mærore ac luctu communi  
 graviter facit initium, pro renata. 2.  
 Deinde à commemoratione rerum u-  
 no tempore dicendarum multitudinis  
 Sic Cic. Verrin. 2. cap. 10. & Phil. 2. c.  
 13 prudenter est exorsus. 3. Sæpè ab  
 amplificatione etiam locus ordiendi  
 desumitur, ubi vel Quæstio aliqua ex-  
 imia & luculenta ut *Claudian.* de causa  
 illa mutuatur Exordium, unde fiat,  
*quod cernimus ferè ubiq; usvenire, ut mali ce*  
*floreant & bonorum sors sit adversa ac minus ce*  
*lata, vel similitudo egregia vel consuetudo ce*  
*gentis aut Reip. alicuius, aut eius in qua versa ce*  
*mur vel deniq; Apophthegma serium & argu- ce*  
*tum, vel insigne dicterium & Adagium in ce*  
*geniosum, quod tamen ne pauperioris*  
 esse prudentiæ videamus, rarò fieri sua-  
 demus, copiam dicendi suppeditare  
 possunt.

§. 7. Quod exornari potest, per varia  
 oratoris pigmenta, imò debet. Ut cum  
*dubitamur* primò, sicut Liv. l. 28. c. 27.

50 ARTIFICII ORATORII

- introducitur Scipionem, & Philotam  
Curt. l. viii. c. x. & Otho ap. Tacit. l. i.  
1. Hist. *Vel occupamus* ac prævertimus ea,  
quæ nobis objici contraq; offerri pos-  
se videbantur, quod facit Cœnus ap.  
Curt. l. 9. c. 3. *Vel hypothesein ponimus* cui  
3. appendimus latiore deinde subjun-  
ctionem ut facit Cic. in Vatin. orat. &  
Orat. pro Com. Balbo. *Vel convertimus*  
4. *nos ad Iudicem*, vel Auditorem, ad Ad-  
versarium. Cic. pro Ligar. & Clu-  
entio.

§. 8. Quin & Affectus Motusque a-  
nimi præbent non rarò occasionem  
apto & ad persuadendum facto Exor-  
dio. Verbi gratia, *Inchoabit noster suum*  
*sermonem & Affectum lætitiæ & doloris,*  
*Iustitiæ, Clementiæ, studii concordiæ, Pi-*  
*etatis, Charitatis in Patriam & religionem,*  
*Commemorabit Liberalitatem, Humani-*  
*tatem, Modestiam, Fortitudinem* cætera-  
que id genus plura, quæ reperire vel  
mediocriter ingenioso & lectione ali-  
qua instructo non adedò est difficile.

§. 9.

§. 9. Quod dictionem & formam dicendi attinet, tenere debet Noster, quem fingimus Candidatus eloquentiæ, ut sit *Exordium breve, ne nimia prolixitate satiетatem afferat audienti*, dum acuire attentionem & excitare debebat. Verbis quoque debet lucere splendidis & ornatis, Rebus vel jucundis ac severis, pro rei, quæ tractatur, qualitate. Ipse qui dicit, Tria proposita sibi habere debet, quæ ut consequatur, omni studio affectabit. *Primo* ut reddat Auditorem in initio statim attentum, quod fiet, si dicet, rem magnam se velle dicere, rem novam, si petat, ut modestè audiant Cic. pro Amerin c. 10. &c.

*Deinde* ut doceat & informet. Non enim attentè audietur is, qui quid dicat à nobis ignoratur.

*Postremo* ut benevolum reddat, quod fiet, si de amore in Deum, in Rempublicam, in amicos ac propinquos, de officij sui dignitate ac ratione præfabitur, aut adversarii crimina & judicium vir-

52 *ARTIFICII ORATORII*

tutes adducet. Aut, quod sæpè faciunt *exercitati in dicendo viri*, à causæ suæ bonitate sumat dicendi introitum, à circumstantiis, ut sunt lætitia, festiuitas, Anni tempus, à rei atrocitate, novitate, & ijs, quæ supra attigimus reliquis.

NARRATIO.

§. I.

§. I. Post occupatum ita Auditoris animum, pergat Orator & Narrationem instituit.

Quæ quia duplex est, sciendum initio, de utraque agamus hoc loco. Est autem Narratio alia *Historica*, alia *Oratoria*, illa rei gestæ aut quasi gestæ est dilucida & perspicua relatio, hæc elaborata exornataque periodorum membris & figurarum picturis rei, quam persuadere volumus, explicatio. Cuius finis est, docere & instruere auditorem, quod non nudè facit, ut historicus, sed pictè & exquisitè, ut simul illabatur in animum auscultantis.

§. 2.

PART. I. CAP. III. 53

§. 2. In Narratione igitur artificiosè dicturus hoc præcipuè attendet, ut quomodo rei veritas se habeat, discat Auditor. Vbi utetur motibus raro aut certè non adeò gravibus. Nam in Exordio, confutatione & Peroratione alia est ratio. Ad ordinis rationem quod spectat, solet præmitti interdum quædam Narrationis præparatio, ut appellat Hermogenes c. i. quâ mentem Auditoris præparamus ad citius eo fidem adhibendam Narrationi nostræ sequenturæ Cic. pro Amerin. c. v. Ovid. El. iii. l. i. Trist.

§. 3. Artificio iste qui narrabit utetur gemino, altero *Amplificationis*, altero *Exornationis*.

Idque hoc modo. Primò descriptionem usurpet rei aptam, lætam, si sit res talis, seriam, si sit gravis, furiosam, si causa requirat, Verbo, *Hypotyposin adhibeat*, ut Cic. VII. Verrin, ubi Civis Romani indignam flagellationem exagitat, Modò exclamet, modò obstupescat,

scat, modò per interrogationem animos suspendat & anxios teneat (Quid deinde? Quid censeatis? Cic. 7. Verr.) tum increpet & insultet, sæpe etiam cum Iudice, cum auditoribus communicet. Idque in fine sæpe & in medio, ad excitandam maiorem attentionem. Deinda curam quoque scribendi habeat & verborum collocationis. Ut si efficiat, ut oratio quasi fluere videatur & Ignis instar amnis decurrere. Quod consequetur, si oratione utatur infinita: Cic. iv. Verrin.

In manus *sumere, laudare, mirari, gaudere, &c.* Si deinde potius de præsentì quàm jam elapso tempore loquatur. Magis enim inhæret animus ei, quod recens esse audit, quàm quod jamdiu præteriisse intelligit. Exemplo est *Ciceronis illud lib. 3. de Off.* Tenuia sunt illa, si participia coacervet multa ut *Pater occisus, domus obsessa, bona direpta* Cic. pro Amerin. c. 30. si sæpe connectat per particulas. Ait, in fit. *Curt. l. 4. &*



4. & 6, c. 14. & 4. Sed tamen videntur si rectè adhibeantur non absurdè esse animadversa.

§. 4. Præterea ut perfecta fiat talis Narratio, circa res observanda hæc diligenter. *Primò*, ut verosimilis probabilisq; sit. Quod fiet, si decorum ubique observetur, ne quid ineptum, aut falsum, aut affectatum fidem quam expectamus, eludat & conturbet. Decorum autem consistit in eo, ut Cic. Partit. docet, ut *Natura, Nomen, Victus, Fortuna, Habitus Affectio, &c.* talia observentur. Qui impingit in uno horum effundit apud auditores fidem, quam mereri debuerat. Circumstantiæ quoque à loco & tempore & modo rei gestæ luculenter sunt consuetandæ.

§. 5. Ut *grata* sit, faciet *Brevitas, & jucunda*. Est enim aurium nostrarum sensus fastidiosus admodum. Quare florido genere sermonis & amæno verbisq; propriis opus est. Neq; talis esse debet, ut morosum reddat auditorem,

56 ARTIFICII ORATORII

sed ut excitet & in ardorem voluptatemque trahat. Solemus autem tunc in dicendo laudem conservare, cum quando avidissimus est auditor, abruptimus, non quidem ita, ut non pertexamus quod restat, sed ideò ut animus se recolligat & avidius multò incumbat.

Non nunquam & Narrationem, ne offendat aures prolixitate, in partes distribuere solemus, quod fecit Cicero pro Quint. c. xxv.

Porro suavitatem Narrationis adjuvabunt etiam *figuræ* non nullæ. Ut si inferantur, *colloquia* fortè habita, instituantur *Sermocinationes*, *Descriptiones*, *Admirationes*, verbo, si ita animetur sermo, ut omnes hominum mores quasi depingantur, omnes rei circumstantiæ amœno verborum colore expoliantur. Cicer. Ver-  
rin. III.

CON-

## CONFIRMATIO.

## §. I.

§. I. Confirmationem i.e. causę nostrę fidem & auctoritatem conciliant primò duo, quorum alterum est in adstruendo quę volumus positum, in evertendo alterum, quod nobis nocet. Consequentur id noster gemino & generali id quidem Artificio. 1. Motu auditoris, cum audiētem ita movere noverit, ut affectus ejus quasi in potestate habere videatur. 2. Tractatione argumentorum, ut illa ordinatè & eo collocet qui non prodat causam ordine ac serie.

§. 2. De quo jam agendum erit. Duplex igitur hic sumet artificium persuasurus, alterum *collocationis*, alterum *exornationis*. In collando meminerit Ciceronis in Orat. c. 2, ut firmiora in fronte, imbecillia in medio, mediocria ad finē reponat & reservet. Quoniam ita fieri plerumque amat, ut postquam ini-

C

§

tio

58 *ARTIFICII ORATORII*

tio auditionis persuasi aliquid sumus esse verum, in cursu sermonis mox facile transmittamus aliquid, quod ad calcem attentius observemus. Itaque in initio, & fine ut sit validus, operam dabit Orator. Hic subtiliter nonnunquam noster ita rem aggredietur, *ut per Gradus ascendat* i. e. ut causam suam primò firmet & muniat rationibus, deinde remittat paululum de jure suo ac priori rigore, eo fine, ut fortius adversario insultet. Sic fecit 7. Verrin. Cicer. c. 4. Non agam summo jure tecum & *que seqq.*

§. 3. *Tractatio* consistit in argumentorum struendorum formandorumque more Oratorio scientia. De qua pauca clarè & perspicuè præcipiemus. Sunt igitur præcipua, quibus Orator probat, argumenta, *Syllogismus, Enthymema, Inductio, Dilemma.* Vbi ante omnia notabit Noster, *non esse hæc Logicè tractanda.* Nam in eo differunt, quod *Logicus* hæc aptè per præmissas disponit

nit & definit in conclusione, *Rhetor* seu *Orator* partes subtiliter occultat, ne disputare videatur, quod suarum non est directè partium. Præmissas suas totamque structuram ita ordinabit ac disponet, ut quasi sponte sua sic coïisse videantur. *Principio* igitur Propositionem adfert, cui mox subjungit Propositionis Rationem sive causam. *Deinde* assumet, & causam ac confirmationem assumptionis iterum statim adnectet, ut postremò concludat & de eo, quo de agit, verum id esse inferat. Proponet ergò & id quod proposuit, corroborabit, post assumet & quod assumpsit, denuò stabiliet, ac postremò concludet.

§. 4. Sed hic, inquis, ordo est idem cum Logico. Est quidem, sed non semper. Nam non ita hæc dicimus, quasi generalia sint & ita fieri necesse sit, quemadmodum in Logica necessario ut ita collocata sunt, requiritur. Siqui-

60 *ARTIFICII ORATORII*

dem in oratione liberum est hoc relictum arbitrio dicentis, & locet prout sibi usui esse intelligit. Præterea sequitur *Exornatio* & accedit *pictura oratoria*, quæ hæc ita finguntur & colorantur, ut animadverti nisi à perito non possint. Exornata autem propositione,

1. *Per Interrogationem* ( quid prodicione detestatus.)
2. mox *admiratione* utitur (quæ cum exclamatione ferè est conjuncta.)
3. Tertio *indignatur* & increpationem cum indignatione miscet.
4. Interdum quoque *subiectionem adhibet*, ut quærat ex sese vel alio, & causam ac responsum statim subjiciat. Sic pergit & in *Assumptione*. Hanc exornat 1. *per Transitionem* 2. illustrat *per Similia & Dissimilia* & 3. ex loco *Repugnantium* amplificat & expandit. Ita quoque conclusionem *voto & optatione* pictam profert, aut fucatam *Admiratione* cum *interrogatione* conjuncta (Quid igitur restat Catilina?) ut restantur loca hæc Ciceronis Philipp. vii. n. 9. pro Plan. c. 45. & 48. & passim.

EN-

## ENTHYMEMA.

§. 5. Quoties thesis omittitur & hypothesis explicatur, fit Enthymema. Omittitur autem Thesis, quando clara & contradictionem aut dubitationem non patitur. Hinc generi Iuridicali frequenter inserviunt Enthymemata.

§. 6. Exornatur i. per Collectionem, quâ res probanda ponitur primò, mox rei istius expositio adjicitur, quæ argumentis confirmatur undique & communitur, donec ad conclusionem non animadversam quasi derepentè delabatur. E. G. *Ebrietas est tollenda è republic.* (Ratio additur) quia facta est, quia periculosa, quia effœminat & conturbat civium animos. *Regum est, reges ulcisci,* ergò non rectè fecit Hispanus, quod cum parricidis Anglis societatem iniivit. Hæc per Explanationem, quæ fit à *Similitudine, ab Exemplo, per Sermocinationem*, quæ fit per fictionem orationis alicuius Personæ, quam verisimile est

62 *ARTIFICII ORATORII*

sic locutam aut esse olim, aut locutura-  
ram propediem, si res sicferent, iterum  
occultantur & pinguntur. Forte est  
argumentum & magni usus, quando  
ex *una conclusione* multas easque diver-  
sas elicimus consequentes proposi-  
tiones; Vel ex una propositione, varias  
conclusiones derivamus, ut: Christia-  
nus est, ergò sit lenis, sit temperans, sit  
misericors. Scelestus est, ergo non  
dubium est, quin idem sit homicida,  
adulter, Sacrilegus.

INDUCTIO.

§. 7. Ea Orator utitur, quoties am-  
pliolem orationem suam vult efficere  
ad eò citiùs persuadendum. Idque  
consequitur 1. *per distributionem*, cum  
Genus in suas species dividit & disper-  
titur, aut contrà: Vt, tota Civitas  
squalet, mæret equestris ordo, luget  
senatus, dolent tribus, plorant fo-  
ra &c. 2. *Per interrogationem* fit ner-  
vosior & penetrantior. Vt, si quis  
ad



PART I. CAP. III. 63

ad Carol. II. Regem Angl. fugitivum  
ex parricidis conversus diceret: Ha-  
bes regem Francia? Sed cuius re-  
gni? Quis elegit? Quid impe-  
rat & quibus? Quis coronavit?  
Quis iuravit ei fidem? Vide, qua-  
lem alas regem! 3. *Per oppositionem s.  
Antithesin.* Ut religionem prætexunt  
Britanni? Pietatem offenderunt.  
Tyrannidem adducunt? Crudelissimè  
egere. Libertatem afferunt? Premunt  
pessimè totam Rempublicam. 4. *Per  
Congeriem.* 5. *Per similia & dissimilia e-  
ruditè exornabitur.* Cicer. pro L.  
Man. i. c. 61. 6. *per Exempla* quoque  
scitè colorari poterit. Ut si excusa-  
re quis velit Lutherum, quod unus or-  
bi se opposuerit & tot regibus, dicet:  
Accusatis audaciæ? Nemo igitur  
Noacho projectior, nemo Mose im-  
portunior, nemo vincet temeritate E-  
liam, nullus exuperabit Paulum &  
Apostolos, qui orbi terrarum aut  
Iudeo

64 *ARTIFICII ORATORII*

Iudæo aut gentili sese ausi sunt oppo-  
nere.

Dilemma.

§. 8. Dilemmatis usus est admodum  
concitatus & ad persuadendum cum  
maximè idoneus. Utimur in delibe-  
rando, disuadendo, & in juridicali,  
aut accusantes aut defendentes quem-  
piam. Undè & in confutatione po-  
tissimùm adhiberi solet. Estq; ejus-  
modi ratiocinatio, *qua duas rationes ob-  
jicimus adversario, quarum neutram citra ja-  
cturam negare potest.* Seneca Philos. in  
Epistolis & aliàs creber in ijs est. Ut in  
Consol. ad Polyb. c. xxvii. Cic. 2. in Rul.  
c. 45. Martial. 7. Epig. 42. Antigonus ad  
fratrem: Si causam injustam habes,  
cur litigas? Si justam, cur non publi-  
cè litiges?

Hæc de argumentis eorumque  
Tractatione.

CON-

## CONFUTATIO.

## §. I.

§. 1. Huius officium est, oppositas ab Adversario rationes eludere & refutare. Vnde & Refutatio aliis appellatur. Artificium est duplex in univ-  
ersum.

*Argumentativum & Figuratum.*

§. 2. Quæ ad argumentativum pertinent hæc ferè sunt 1. Consideret O-  
rator pondus argumentorum sibi con-  
trariorum, quod si sentiet, nullum esse  
aut infirmum, exagitabit & operosè  
confutabit, sin firmum & magni mo-  
menti, transvolet & suis tantum con-  
firmandis inhæreat. Non igitur sem-  
per confutatione uti necesse est, præ-  
sertim in oratione panegyrica & Epi-  
dictica. 2. Motus quales adhibendi sint,  
colligat ex affectu auditorum & judi-  
cum, quali sint in adversarium præditi  
animo. Si benevolo, temperet vehe-  
mentiam, si contra, indulgeat & con-  
citet.

66 *ARTIFICII ORATORII*

citet. 3. Argumentabitur a. *vel ex loco Repugnantium*, cum defensus quem-  
 piam dicit, repugnare criminis natu-  
 ræ, indoli rei. Vt Cic. pro Rosc. 39.  
 pro Cælio 53. Vel *ex Adiunctis*, quo-  
 rum duo sunt genera, *Externa & Inter-  
 na*; Hæc, ut, ingenium, mores, stu-  
 dia, quibus pro Cælio utitur Cicero:  
 illa circumstantiæ sunt rerum & per-  
 sonarum, *Rerum* sunt vel *Loci* vel *Tempo-  
 ris*, *Modi rei gestæ, &c.* *Personarum*, ut *Ha-  
 bitus vultus, Mîna*, quibus utitur Cic. pro Mî-  
 lon. Vel *à consequenti & rei effectis*, in de-  
 liberando & defendendo, cum osten-  
 ditur fæditas eventus, & periculi ma-  
 gnitudo. Est &, cum negari debet  
 tota accusatio & criminis intentio,  
 quod fecit Cicer. pro Quinct. 26. Ne-  
 gamus te bona Nævi possedisse ex e-  
 dicto Prætoris &c. Aut si negare di-  
 rectè non possumus, retorqueamus in  
 Accusatorem idem, quod pro Sexto fe-  
 cit Tullius. & Cæl. 52. Aut oppo-  
 namus virtutes rei vitij adversarij, &  
 exin-

exinde gratiam Iudicum & auditorum amorem conciliemus. Cic. VII. Ver-  
rin. 42. Aut portò, negemus vitium esse revera, quod objicit adversarius Cic. pro Milon. 84. Denique omit-  
tendo & prætereundo etiam quædam quasi spreta refutari solent, vel, dica-  
mus, alia de causa id factum esse à reo quàm quæ afferatur ab actore, quo ar-  
tificio Cic. utebatur pro Dejotaro.

§. 3. Verum hæc omnia Oratoriæ elaboranda & proponenda jam quo-  
que etunt. Quocirca quatuor potissi-  
mùm Exornationis artificia adhiberi solent. 1. *Subiectio*, quâ excusationes adversarii per Interrogationem addu-  
cuntur, & mox subjuncta responsio-  
ne diluuntur. Ut: Appellandi tem-  
pus non erat? At tecum plus an-  
no vixit. In Gallia agi non potuit?  
At & in Provincia jus dicebatur.  
2. *Deinde* in premendo adversario  
acrem habet usum *Interrogationis*  
usur-

68 ARTIFICII ORATORII

usurpatio. 3. Contra nostræ causæ  
inservit *Enumeratio argumentorum*, quo-  
rum impedimento evenit, ut illæ quæ  
ab adversario afferuntur, rationes locū  
habere non possint 4. *Motu iræ & indi-  
gnationis* utetur Orator, ut quodammo-  
do excandescere ob imprudentiam ad-  
versarii videatur.

PERORATIO.

§. I.

§. I. In fine sermonis cautè & ex ar-  
te aget noster, si argumentorum suc-  
cum brevem & nervosam repetitionē,  
*Græci, ἀνακεφαλαίωσιν vocant*, insti-  
tuet.

Nam quia vix fieri potest, ut memo-  
ria Auditorum omnia quæ longo or-  
dine sunt tractata, teneat, omnis autem  
assensus, cum rei, cui assentiri debet,  
notitia, sit necessariò conjunctus, ne-  
cessariò requiritur, ut vis & summa  
quasi totius Orationis resumatur. Ic-  
circo

circò & singularem industriam in genere deliberativo & Iuridicali Peroratio requirit. Quippe sicut peculiare Exordij flectere, Narrationis, erudire & instruere, Confirmationis, roborare & munire, Confutationis, defendere & amoliri, unde Exordium Lenitatem, Narratio, acumen, Confirmatio, Iudicium, Confutatio ingeniũ & vim quandam animi desiderant, ita *peroratio* tanquam horum omnium meta omnium fermè virtutes & ornamenta sibi tribuit.

§. 2. Quamobrem non tantum *repetitio* illa adsit, necesse est, ita simplex & nuda sed *elaborata & artificiosa*. Talis autem erit, si *Ironia* & contemptu claudas nonnunquam, alias *preteritione*, sæpè etiam liberâ & audaci *compellatione*, quoties sc. causæ fiducia fretus aut favore Iudicum subnixus &c.

§. 3. Observabit hic autem Tempora & materias cautus Orator. Nam in *Genere Demonstrativo* desinet, cum admiranda

70 *ARTIFICII ORATORII*

miratione, Motu Amoris, Æmulationis, aut lætitiæ. *In Deliberativo*, cum Spe, Cupiditate, Metu claudet. *In Iudiciali*, cum defendet, Innocentia, Misericordia, Amore obsignabit, quoties verò accusabit, Odio, Contemptu, Indignatione in fine terminabit.

CAPVT QVARTVM.

MEMBRVM PRIMVM.

*De*

*Genere Demonstrativo.*

§.1. **I**N universum duplex in omnibus occurrit artificium *Inventionis* & *Exornationis*. Hæc iterum in duabus rebus consistit, *Verbis* & *Figuris*.

§.2. In genere Demonstrativo laudatio Personarum hos habet locos. 1. *A Patria*, quod fit vulgariter, quæ cōmendatur ob nobilitatem, quod fit celebris,



lebris, munira, nutrix eruditorum & Heroum, & quæ sunt plura talia. A constitutione porrò Reipublicæ, quod sit laudabilis, firma, longa annorum serie valida & annosa. A situ & ædificijs, quòd sit splendida, magnifica, ordinatè structa, loco amæno, ubere, & commerciis rei que faciundæ apto. II. *A Parentibus & genere*, quod sit antiquum & illustre, Dignitatis & eminentiæ singularis, Eruditione quoque & laude doctrinæ præ cæteris insigne, quod copiosè tractat Tiraquell. de Nobil. capit. v. III. *A Nativitate*, ubi observantur tempus & dies, Præcedentia & concomitantia, quemadmodum insignem laudi materiam præbet, quod scribitur Elector Saxon. Ioan- Friderich captivus crucis rubræ figuram in humero attulisse secum in lucem. IV. *A Nomine*, quod vel ominosum esse demonstratur vel ob virtutem inditum vel instinctu quodam superum ei esse

*Hic legi debent Panegyrici Pascali. Nazarii, Eumenii.*

ei esse impositum. Ut si dicam, Scali-  
 gero Patri nomen Iulii Cæsaris esse da-  
 tum in omen futuræ excellentiæ, ut  
 quemadmodum olim armis iste Mo-  
 narchiam Romæ, sic ille ingenio Prin-  
 cipatum generi suo intulisse videatur.  
 De quo plura suprâ in *Cap. 2. de Inveni-  
 one & quidem loco de Notatione adducta sunt*  
*V. A Bonis deinde cum animi tum corporis &*  
*Fortunæ desumi quoq; sæpè materia*  
*laudis potest. Præcipuè verò adducun-  
 tur à nostro ab omni vulgo remota ea quæ ni-  
 hil sapiunt triviale, ut sunt, Conditio vitæ*  
*honestæ & ampla dignitas. Magnam*  
*enim cuius auctoritatem circum-*  
*dat, id quod ornat, officium. Prætereà*  
*merita in Ecclesiam vel in Reipubli-*  
*cam vel in suos. Ex hoc enim æsti-*  
*manus virtutem, prout ergà alios, quæ*  
*partem nostri sibi vindicant, se exse-*  
*ruit. Denique conciliat & laus Mo-*  
*destiæ singularem gratiam, ut sunt, vi-*  
*ta sine lite & calumnia transacta, cupi-*  
*entium desiderijs aperta & commo-*  
 do pu-

do publico destinata, fuga gloriæ & nunquam appetita impotēter magna, insignis quoque ingenij & compositæ mentis signum erit.

His si accesserit beneficium Fortune & felicitatis exaggeramus id à magnitudine, constantia & frequentia. Sæpè accidit ut infelix casus ad gloriam viam præparasse credatur. Id tunc Orator quoque novit egregiè ad se traducere & inde amplam dicendi materiam colligere. In fine vitæ alicujus commendando, dicemus, cum dolore omnium eam esse terminatam, desiisse in cursu gloriæ & felicitatis, clausam esse & finitam quietè ac piè & cum integro animi robore. In Personis illustribus commendamus clementiam, Fortitudinem, munificentiam, Prudentiam, Amorem Civium (præcipuè.)

§.3. Quæ omnia jam Verborum accurata pompa & dicendi nitore sunt exprimenda. Quod Exornationem appellamus. Circa hanc consideram⁹.

D

1. Ver.

1. *Verba*, 2. *Figuras*.

§. 4. *Verba* quod attinet, ea in hoc genere florida, suavia & ornata requiruntur. Sic Cic. partit. cap. 72. requirit Tria genera verborum hujus generis. Insignia ipse appellat, sunt autem hæc: *Facta, vetusta, translata*. *Facta* verba, non quæ Orator primus invenit, aut, facit ipse, sed quæ ut eo loco usurpata jure suo videantur, efficit, aut certè quæ non adeò magnam ætatem sustinent. Nam erant tunc Romæ quædam vocabula noviter adinventata, quæ antiquitùs ignorata fuerant. Sic Cic. Cat. Maj. c. 51. *Terra semen tepesfactum complexu suo diffundit & elicit ex eo herbescentem viriditatem &c.* *Vetusta* contra sunt, quæ annorum robore firmata gravitatem præ se ferunt, ut solet omne antiquum esse severum. Ut sunt illa quæ apud Varronem & Salustium ac Catonem & Columellam, etiam sæpè apud Tacitum leguntur. *Translata* dicuntur, quæ è sede suæ naturæ

ræ emota in alium sensum & locum transferuntur. Vt : Imperii nostri splendor lucet gentibus. Cic. pro Leg. Man. & quæ sunt plura satis notabilia.

Porro, si ea conjungantur verba, quæ sonoram reddunt orationem & pinguem ac densam, ut plenè omnia sonent, & aurium iudicio cum voluptate incidant, suavitas quoq; afferetur orationi. Neq; *postremò* verba adhiberi debent *aspera & morosa*, sed molle & leniter cadentia. Sic enim tenendum in lingua latina non tantùm sed & reliquis ferè elegantioribus esse verba, quæ ad naturam rei quam designant exprimendam sint aptata, quæ suo loco scire adhibere, inter requisita boni Oratoris meritò refertur,

§. 5. Figuræ quibus Genus hoc pingi solet annotantur ferè tales. 1. *Oppositorum iterata usurpatio*, ut : à morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit. Cic. post

red. in Senec. c. 22.     Vtitur & Nazar. in Paneg. Constantin. 2. *Distributione*, 3. *Enumerationem* virtutum præsta & sese invicem arctè sequentium ( ut labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo Cicer. pro leg. Manil. c. 29.) hoc genus potissimum gaudet, 4. *Prosopopœia*, 5. *Exclamatio* & 6. *Comparatio* nervo non carent.

§. 6. Restat ut de rebus convenientibus quoque nonnulla adjiciamus. Nam & hoc præcipuè sciendum, qualia sint argumenta & res ferè adhibendæ. Et quidem *argumenta non debent esse vehementia*, nec contorta aut concitata, sed lenia & suavia & ad voluptatē potiùs facta quàm motum. Quamquam nec hic motum amoris, laudis, lætitiæ excludimus. Hoc consequemur, si utemur 1. *Definitione*. Hanc enim mollia & propria verba ac perspicua decent. 2. *Deinde enumeratione partium*

*rium*, quæ ornatum & decorem singularem orationi circumfundit, 3. Tertiò *adiunctorum s. circumstantiarum commemoratione*. Hæ enim causam aliquam aut factum reddunt splendidum & excitatum 4. Quartò, *Similitudine* illustrantur miris modis prosequendæ. Debent autem desumi à *rebus amœnis*, ut hortis, vere, pratis, floribus, sole & sideribus, amore & ejusmodi sensibus gratis aliis 5. *Contrariorum* juxta se positione 6. *Aut contentione* virtutum & certamine quasi quodam rerum heroicarum splendescit sermo & elucescit altius. Cui inservit *Comparatio & Proso-*  
*popœia.*

§. 7. Res quæ hoc genus decent, sunt 1. *Mirabiles* i. e. tales quæ in admirationem audientium animos abripiunt atque deflectunt. Eæ sunt 2. *Inexpectatæ* i. e. tales, quæ præter spem evenisse memorantur. Omne autem inopinatum concutit & conturbat animum.

## 78 ARTIFICII ORATORII

Qualia sunt, oracula, vaticinia, Prodigia, subita fortunæ immutatio, &c.  
 3. *D. vine & fatales*, qualium Catalogum vide omnino apud Piccart. Decad. Polit. 2. c. ix. Hæc in genere,

*Artificium Dispositionis.*  
*Partium.*

§. 8. Sequitur specialis Partium Orationis in hoc Genere Artificii tractatio. Vbi primò *Exordium* occurrit. Quod 1. debet esse præ cæteris florenti genere dicendi illustre. 2. Fit autem tale, si desumas materiam vel à *Persona* vel ejus *qualitate*, officio, dignitate, forma & habitu corporis. Vel à *facto* aut *dicto* insigni & memorabili, sed amæno & voluptati vicino. Vel à *loco* & ejus in quo peroramus, augusta facie. Vel deniq; à *simili*.

§. 9. Narratio 1. non sit *continua*, ne lentam faciat orationem. Fiat igitur *per partes*, ut animus maneat vegetus & a-



& alacris. 2. Nec tamen *confusa* sit, sed *ordinata*, ut docet Cic. in partit. c. 12. 3. Habeatur delectus rerum narrandarum, i. e. non quævis *minuta* & *humilia* veniant in expositionem (quid enim ab illis speres laudis aut commendationis?) Sed rara comprimis & illustria & plena dignitatis. 4. Delectus ille consistit in gemino artificio. *Priori* quidem illo, quando ab abundantia laudum sive rerum gestarum ordimur. Sic fecit Nazar. ad Constantin. *Posteriori*, cum per distributionem, vel à majoribus ad minora descendimus, vel ab his ad altiora ascendimus. Ut Cic. fecit pro Com. Balb. c. VIII. 5. *Observetur tempus*, & ejus Gradus, ut pueritia, Iuventus & sic deinceps. *Honoris quoque* & *dignitatis* crescentes subinde status annotentur. 6. *Postremò*, cum persona non adeò rerum laudabilium copia dives est, inæqualiter narramus modò *insignia*, si quæ sunt, vel saltem esse viden-

80 *ARTIFICII ORATORII*

videntur, modò tenuia ne dum sic permiscantur, animadvertat facilè auditor defectum.

§. 10. In *confirmatione* artificium est, ut *excludamus* socium.

Id fit triplici modo, cum dicimus 1. *Solum id fecisse*, 2. *Primum* inter omnes 3. *vel cum paucis* quàm felicissimè gloriosissimeque in eo esse versatum. II. Ut: *Adiuncta & Circumstantias adducamus*. Qualia sunt, *Tempus*, ut si quis *Iuuenis*, *Puer defunctus* sit, si quis *ereptus* sit præter spem, tempore nubilo & quo resp. magno viro indignisset. *Locus* præterea, ut si doleamus quempiam decessisse inter *exteros*, *barbaros*, *diversæ religionis*, &c. Fit etiam res *major & firmiter commemoratio*, *Honoris*, *Civium amoris*, *Meritorum & plurium talium*, quæ desiderium excitant atq; intendunt.

§. 11. *Peroratio* hoc in genere debet esse aliquantulum commotior. Hoc fit variis modis. Vel per *Exclamationem*,

*nem*, vel per *Admirationem*, qua virtutes ereptæ fiunt longe illustriores & desiderabiliiores, vel per *Applausum* & *Gratulationem*, in Panegyricis & illustribus conventibus. Vel per *Gratiarum actionem*, si is est ut ei simus obstricti, vel *Excusationem*, nostræ sc. personæ, cuius tenuitate forte factum dicemus, ut tantæ personæ maiestas apud Auditores minor sit reddita, quàm per se sit revera. Vel *officii & studiorum oblationem* vel postremo *commendationem nostri & nostrorum*. Nonnunquam & *Voto* clauditur, ut Plin. Panegy.

## MEMBRUM II.

De

*Genere Deliberativo.*

§. I. Hujus generis ratio potissimum iis habenda esse videtur, qui luci & vitæ civili operam dant. Consistit enim in earum rerum tractatione, quæ rempublicam aut defendunt aut locu-

D 5

ple-

pletant, aut ornant, ut sunt *Vestigalia*, *Bellum*, *Pax*, *Præsidia limitanea*, *Annona*, *Legumque ferendarum ratio*. In re privata tot fermè esse possunt materiæ, quot erunt negotia, quæ se offerunt in deliberationem.

Hinc quia olim in foro coram cætu civium qui Græcè dicebatur *Ἐκκλησία*, deliberationes institui solebant, dictum est *Ἐκκλησιασικὸν* s. *concionatorium*. Denique quia in suadendo frequentissimè versatur, *suasorii nomine* quoque appellari solet. Ab effectu autem vocatur *Deliberativum*.

§. 2. Circa hujus artificium duo in genere observanda sunt, inventionis & Elaborationis seu Exornationis subtilitas. Et quidem primò inventio desumitur ab his potissimùm Locis r. à *Necessario*. Dicitur autem hic necessarium ex Cicerone, id sine quo salvi liberique esse non possumus. Aut cum necessitas talis, quæ conditionem patitur, *Vt: necesse est mori, nisi vincas,*  
*miles.*

*miles!* 2. *Ab honesto.* Nam monente Tacito lib. viii. Ann. in consilijs hoc præcipuè spectandum, an quod inchoatur Reipub. utile, suscipientibus gloriosum sit.

Hoc igitur cum natura sua sit bonū *ut ait Seneca*, fortem persuadendi habet occasionem. 3. *Ab utili, ut ostendatur*, conducere civitati & regno, Ecclesiæ & templis. si hoc fiat & consilii nostri habeatur ratio. Alii duplex *utile faciunt*, *utile honestum & utile commodum.* Et tunc Bona expetenda, proponimus, ut sunt corporis & Fortunæ, animi non item, ea dicimus esse coniuncta cum ipso decoro ac honesto. Quò igitur honestius est commodum atq; utile eò magis ostendimus esse consecretandum. Idque declaramus, quando hoc vel illud quod nostri est consilii, affirmamus oriri à virtute, quæ duo quasi effecta secum fert, ut faciat 1. *rem bonam* & 2. *laudabilem ac iccirco appetendam.*

Porro alterum Inventionis membrum

## 84 ARTIFICII ORATORII

brum in amplificando consistit. Vbi rem illam consideramus vel *qualis in se est*, vel *qualem reddunt persona, & causa ac cetera quaedam circumstantiae*, quas hoc versiculo Rhetores inclusere.

QVIS. QUID. VBI. QVIBVS. AVXILIIS. CVR. QVOMODO. QVANDO.

Quæ singula explicari merentur. *Primo* itaque Personæ qualitas perpendenda, ejusque status ac conditio, vel ea cui persuademus, vel ei contra quam dicimus & dissuademus, aut suademus diversum. Idque adeò, quia unusquisque ex animi & studiorum inclinatione facilè commovetur. Neque enim ægrius aliquid persuadeas, quàm quod ab ipsius natura & voluntate sentis esse alienum. Vt cum Bellum velis contra aliquem suadere, dices, hanc esse ejus aut viri aut gentis naturam, ut non possit quiescere. Melius igitur esse, ut prævertamus quàm ut occupemus.

Cic!

Cic. Plin. III. c. 20. hoc utebatur artificio. *Secundò*. Res ipsa consideranda est. Idque prout vel facilis est vel difficilis, quatenus fieri posse videtur, vel non fieri. Sic suademus à facilitate, dissuademus à difficultate rei illius suscipiendæ.

Atque id declaramus per *ostensionem* Loci, Temporis Reipubl. conditionis, & quæ sunt plura hujus generis, quæ negotium, vel ut geratur, reddunt proclive, vel ne aggrediamur permovent. *Tertiò* igitur Locus succedit. Cum ostendimus esse, si suademus oportunū rei conficiendæ, vel contra, si dissuademus, Inoportunum & nociturum nobis. Hoc utebatur ap. Liv. Scipio, ap. Thuanum Spinola & Farnesius. *Quartò*, Auxilia quoque attendimus. Nam prudentissimus quisque quàm longissimè providet, nec tantum ea in deliberationem adducit, quæ videt esse præfentia & parata: Sed & quæ vel ab hoste vel vicino, vel confæderato vel ami-

co præsentit imminere. Ideoque hic expendimus, copias & robur auxilium, personam succurrentis & ejus opes, an diurnæ sint hæ opitulationes, tum quoque consideramus, si sic casus expetit, arces munitas & præsidia, insularum vel Principum urbium occupatio, quemadmodum ap. Thuanum in bello Condæano civili apud consilium regis & Andini disputata leguntur.

*Quintè*, Finis & Eventus ponderari nihilominus debet. Nam hinc validissima sæpe oritur ad persuadendum comoditas. Sic si quis hodiè regi Galliarum disuadere velit persecutionem belli Condæani utatur hoc loco & dicat *Civili bello nihil esse detestabilius in regno, cujus eventus qualiscunque sit, cum crudelitate sit coniunctus.* Sic Imperator militi animos additurus dicet *commo- dè, intueantur causam & finem ob quem sine induta arma.* Non ob privata odia, non ob ambitionem regiam, sed ob salutem civitatis, defensionem Reipubl. & singulo-



gulorum securitatem. Hic igitur locus est nervosissimus.

*Sexto* denique & *Septimo*. Modus & Tempus rei, quam suadere volumus vel dissuadere, operose supputari quasi debent, & sub rationem revocari: Nam velle aliquid inchoare tempore minus opportuno, aut priusquam scias quo pacto quave via id decurrendum sit & peragendum, certissima sit exilii præparatio. Circumspiciendum itaque quibus mediis & rationibus id absolvi posse persuasuri simus, quod suademus suscipi.

Nam per occupationem *περίληψιν* ejusmodi difficultates sunt removendæ cautè deliberanti. Ibi consilia & vires, subditorum alacritas, & regis s. Principis promptitudo adducuntur, ut faciebat Cicero bellum suasurus in Antonium Philip. III. Aut quoties dissuademus difficultatem rei gerendæ, defectum mediorum nervorumq; & temporis insignem iniquitatem, in mediū prudenter afferemus. §.4.

88 *ARTIFICII ORATORII*

§. 4. Nonnunquam & externa quædam usurpare, adjuvare poterit. Ut si assumas, *Leges regni*, & civitatis Patrias, *institutaq;* majorum, eorumque *preiudicia*, *Pacta conventa*, (ut loquuntur icti) *Historias fœderum*. *Exempla fausta & infelicia*. Quæ accommodat prudens Orator ad suum, quem intendit, scopum & seu suadere velit sive dissuadere, dicet, convenire id cum Legibus & consuetudine maiorum, aut non congruere, postulare id Leges regni, aut rejicere, respondere glorioso nomini antiquæ civitatis, aut ab eodem aberrare, requirere id jus confæderationis, vicinitatis aut non admittere, nec saltem obstare, & cætera id genus, quorum usum non tam præcepta Oratoria quam ipsa occasio dicendi & Oratoris judiciû ac prudentia, quæ duo in eo inesse debent summa, edocebit.

§. 5. *Elaboratio*, eiusq; *Artificium*. Vbi primò Exordium ejusque virtutes occurrunt. Hoc rarò equidem utitur

Genus

PART. I. CAP. IV. 89

Genus Deliberativum, ut in dicenda  
sententia, quid opus foret Exordio O-  
ratorio, cum id officij sit dicentis? Nisi *In disun-*  
si res & tempus sint ita comparata, ut *dēdo fe-*  
ruto aut citra suspicionem vel invidiam *rē sem-*  
vix videatur posse nostra proponi sen- *per sunt*  
tentia. Quoties autem adest, Breve esse *exordia*  
debet, quia in deliberando auditor jam *eaque*  
ante attentionem secum attulit, & quis *prolix-*  
que ut expectat assensum vel dissensum *uscula.*  
avidè aures arrigit. *Ordinur* itaq; de-  
liberantes 1. vel à conciliatione aucto-  
ritatis, vel 2. præparatione attentionis  
quoties aliquid singulare & à cæterorū  
votis dissonum prolaturi sumus. Cic.  
pro L. Manilia c. 61. & pro Cælio. Id  
porrò facimus vel ratione Personæ no-  
stræ, vel Auditorum vel Adversariorū,  
vel rei ipsius de qua deliberatio est in-  
stituta. Nos vel modestè commenda-  
mus, vel dicimus, loqui nos & sic velle  
loqui pro ut ratio officij, amor patriæ *Hæc cō-*  
& præsentis Reipubl. status id require- *ciliant*  
re videantur, vel merita illa postulare, *vel Au-*  
qui-

90 *ARTIFICII ORATORII*

quibus aut Principi aut reip. aut ipsi obstricti sumus, aut illi nobis, idque adde-  
mus, *Gratitudinis testanda causa à nobis sic fieri omnimodis debere.* Auditorum rationem sic habemus in Exordio, ut dicamus, ex opinione totius civitatis reliquorumque ferè omnium regni aut reip. membrorum ac statuum dicere nos velle. Eò enim majorem statim assequemur audiendi voluptatem, quò fidelius & ex cura ac consensu populi dicere videbimur. Cum adversa parte, quæ contrarium suavit; ita agemus, ut consilij eius fontem & originem recludamus, causas sic dictas sententiæ producamus in lucem & quàm illæ sint aut periculosæ aut insidiosæ demonstramus. *Vel tertio*, erroneam esse ejus consultationem dicamus, idque confirmemus perpetuo quodam iudicij eius defectu & imbecillitate, aut certè si id vehemens nimis videbitur, auctoritate ejus, quæ nunquam hætenus tanta extiterit, ut ejus sententia præ-

præjudicium facere debeat in veritatē.  
Sic hodiè posset Senator Parliamenti  
Franciae agere cum Mazarino apud Re-  
gem, aut ap. Proceres Angliæ cum  
Cromvvello, si eum in invidiam & ejus  
consilia adducere vellet. *Dere ipsa*, ejus  
consideramus primò *Maiestatem*. Dein-  
de *utilitatem*, Tertiò *Facilitatem* aut tale  
quidpiam afferimus.

§. 6. Narratio Aristoteli non videtur  
quidem hæc Generi esse necessaria, sed  
tamen cum ferè duplex sit Narrationis  
species, altera justa & oratoriè elabo-  
rata, quali in Iudiciali utimur crebrò,  
altera simplex quædam rei Enumera-  
tio; hæc posteriori uti nonnunquam  
conveniet, cum vel exempla affere-  
mus, vel quid in anterioribus seculis  
simile acciderit, recensere voluerimus  
Sæpè etiam præmitti solet per Narra-  
tionem aliquid de nostra persona vel  
rei qualitate, Iusta autem & Oratoria  
illa Narratione hic rectè monet Aristo-  
teles abstineri.

92 *ARTIFICII ORATORII*

§.7. Confirmatio ergò succedet artificiosè proponenda per Distributionem partium, quæ in dicendo peragètur, ut Cicero Philipp. vii. c. 9. fecit & pro L. Man. c. 6. Roboramus deinde *Adductione exemplorum*, quorum usus hic est ad commovendum aptissimus. Hæc adducemus vel Nova ad eò majorem voluptatem excitandam, aut orationi nostræ vim conciliandam & auctoritatem, quæ tam recentis facti testimonio sit instructa, vel Antiqua, ut gravitatem peritiamque nobis tot ante seculorum acquiramus. Exornabimus hæc per *comparationem* aut *commutationem* & in dissuadendo per *Extenuationem*, sicut in suadendo per *Exaggerationem*. Extenuabimus autem dupliciter, vel planè contemnendo, si videbitur tutò fieri posse, vel opponendo exempla & argumenta, si suppetent, clariora firmioraque.

§.8. Peroratio. Primò, ut supra semel monitum est, Repetitione constat quæ

quæ fit, cum in fine nos sic sensisse & his de causis dicemus, quas longo ordine modò percensuimus. Deinde ut illicò & è vestigio subjungamus vehementem & concitatum affectum motumve, quales sunt in suadendo, desiderium, ut Plin. in Panegyrico fecit, spes, amor in Rempubl. commiseratio quoque in rebus aptis. In dissuadendo, metus & periculum, si id sequamur consilij, quod ab adversa parte allatum audivimus, absurdum, quod animabitur indignatione & exclamatione.

## MEMBRUM TERTIVM:

De

*Genere Iuridicali.*

§. I. Non minor est hujus quàm præcedentis generis amplitudo. Quamobrem per singula eundum est, & Candidato nostro via expedienda, quæ antè fabulo & salebris intricata nimis videbitur.

bitur. Nam tum ingenium tum eruditionem experientiamq; non exiguan desiderat comprimis.

§. 2. Duo ejus ibidem ut & Superiorum artificia sunt tenenda : Inventionis & elaborationis, quanquam in posteriore hoc genus præcipuè occupari censeant eloquentes ex Cicerone de Orat. l. c. 213. Igitur habent hic status, secundum quos inventionem disponunt, quorum locus hic non tractatur. Noster enim desumet materiam excogitandi à *coniecturis & locis Factorum*, quia eorum propria in hoc genere est sedes. Circa hæcè duo observabit, 1. *Causas* 2. *Eventa*. Causas habet duas *Impulsionem & Ratiocinationem*. Illa ex perturbatione animi & impedito ejus statu oritur, hæc ex benè composito & præmeditatò, quando aliquid de industria & data opera suscepimus.

§. 3. Hoc ampliùs diducet & extendet à rebus variis. Ac primò quidem à *Personis*. Nam in omni negotio fas est  
inqui-



inquirere in auctorem. Personæ ad-  
 juncta dein exquiret & examinabit, ut  
 sunt Natio & gens, ex qua ortum ducit.  
 Habet enim singula sua vitia & virtutes  
 quibus ab alia discernitur, quem admo-  
 dum vulgò Hispani furaces, Itali scor-  
 tatores, Angli furiosi, Galli leves, Ger-  
 mani bibaces & truculenti, Turcæ sunt  
 avaritiæ & ambitionis suspecti aut  
 ita habentur. Ex hisce vel vitiis in  
 accusando, vel virtutibus in defen-  
 dendo captabit occasionem proban-  
 di & adversarium convincendi. Hoc  
 notari erit operæ. *Deinde Parentes.* So-  
 lemus enim existimare vulgò, simile à  
 simili produci. Sic plantæ, arbores &  
 flores generant sui simile, Nec enim  
 Rosa spinam, aut pomus pirum natu-  
 ra sua profert, nec brassica procreat  
 urticam. Sic & dicemus hunc qui in  
 Iudicio adstat, si accusamus, scelesto fa-  
 tum & scelestum ipsum esse, si defen-  
 dimus, bonis natū & bonū ipsum esse  
 procul dubio. Sed quia hoc nō semper  
 verum

verum esse adeoq; fortiter probandi vim non habet, uti ea subtilitate non debemus facile, nisi & rei veritas adest, & omnium notitia id confirmat. Alias suspectam reddet fidem suam orator quod cavere hoc loco studiosissimè debet. Quò enim honestior esse crederetur ipse, eò quoq; meliori patrocinari, si defendet, crederetur, aut si accusabit, eò deteriori adversari eum, arbitrabuntur. Sæpè etiam à *vultu, Moribus, Forma, vestitu & corporis cultu* ducitur argumentum, quod apparet ex Cic. in Piso. Pro Amerino & alibi.

Vt si quis percussisse eum, quem dicitur probare, hinc volet, adducat pallorem in facie. Si quem scortatum esse persuadere voluerimus, dicamus, semper muliebriter incedere, Et sic in cæteris.

§. 4. Hactenus de Personis. Addamus & de rebus nonnulla & earum circumstantijs. Hic primò expendet causam oraturus causam, rei ipsius & criminis

nis naturam ac qualitatem, quam comparabit ingeniosè cum Persona & ejus conditione ac moribus, ut præivit Cic. pro Amerin. c. 37. & 100. *Secundò* locum attendet, ubi dicet, eum fuisse oportu- num injuriæ, insidijs, flagitio, ut, cum tenebrosus dicitur esse nefarijs stupris aptus ac homicidijs, vallis profunda & arboretis umbrosa, insidijs oportuna esse commemorabitur. Sic contra in defendendo, iniquum & illi sceleri quod adversarius intendit, minus ex- positum aptumque ostendemus per descriptionem & loci delineationem quam *Topographiam* græcè appellamus. *Porro* dicemus, non eum ibi fuisse un- quam, aut certè non eo tempore sæ- pè à *sanctitate*, in qua scelus aliquod est commissum, ducitur non leve aut ine- ptum argumentum. *Tertiò* auxilia per- pendimus, & quidem quatuor modis. *Primò* vires ei ad fuisse in accusando, defuisse in defendendo, ostendimus, quæ pares ei rei perficiendæ fuissent,

E

cujus

cujus insimulatur. Neq; ( addemus )  
conjuraciones factas aut clancularias  
coitiones, & secreta conventicula ini-  
ta, quæ contra in accusando , adfuisse  
probabiliter demonstramus. Sic de ar-  
mis comparatis itidem dicimus , tela  
esse coemta, aut ficas & gladios appa-  
ratos. *De numero sociorum*, fuisse eum in-  
feriorem, si defendimus, superiorem  
cum accusamus. *Deinde* instrumenta,  
quorum modò mentionem fecimus ,  
adducuntur, ut sunt: Arma, socii, con-  
jurati, suspecti. Sic defensurum quem-  
piam ostendimus , eum tunc sine telo  
fuisse, alterum telo non uno instructū.  
*Tertiò comitatum* expendimus, eo, ut jam  
diximus, modo, quem aut validiorem  
aut infirmiorem, prout causa poscit, fu-  
isse memoramus. Deniq; *quartò* recur-  
rimus ad Providentiam divinam, sic ut  
dicamus , humana prudentia aut ope  
non potuisse hoc præcaveri: ubi cautè  
loquetur , ne in re parum ponderosa  
Dei auxilium consilij intervenisse va-  
nè

nè gloriemur. *Et hoc de auxiliis.* Porro  
 quarto, *Causa & Finis* debet diligenter  
 tractari, primò, *ab utili*, deinde à *conse-*  
*quenti & intentione agentis.* Hoc fiet, si in-  
 quiret Orator in propositum & qui-  
 dem primò in susceptionem Proposi-  
 ti, ubi ostendet, diu id molitum fuisse,  
 quod jam tandem designavit, deinde  
 eruet, Propositi istius commoda & fru-  
 ctum, quem eo absoluto feliciter spe-  
 raverit, quod facit Cicero pro Ameri-  
 no cap. 88. Meminerit hic noster Can-  
 didatus, *sententioso sermone & nervoso ver-*  
*borum pondere rem illuminare,* quod fecit  
 Cic. pro Milon. cap. 35. & secundò  
 adducere quasdam animi affectiones,  
 in adversario animadversas, ut odium,  
 iram, vindictæ ardorem & cætera irri-  
 tamenta scelerum. Quintò *Rei gestæ*  
 modum & seriem enarrabit, ut Cic. pro  
 Milon. capit. xxx. Vbi statim appli-  
 care sciat narrationem ad defensio-  
 nem, si sit eâ opus, aut accusationem  
 si requiratur. Duo præcipuè hic illustra-

buntur, *Locus & Tempus*, de loco, an aperte, an ex insidijs sit factum. *Sextò*, Temporis mentionem faciet ita ut omnes ejus occasiones & articulos consideret, quales sunt, *Dies, Nox, Hora, Vesper, Crepusculum*. Cic. præibit pro Milon. c. 17.

§. 5. Exornare hæc omnia debet, qui persuadendi gloriam reportare cupit. Id consequetur 1. *beneficio Narrationis*, quando luculenter per eos locos, quos indicavimus vibrata oratione & expositis accuratè singulis rei affundet claritatem 2. Dum autem enarrat, utetur modò *Interrogatione* modò *Admiratione*, ut quodammodo dubitet de rei tantæ atrocitate, mox *Exclamatione*, modò *Indignatione & Insultatione*, in univèrsum vel *Hypotyposin* adhibeat. Quemadmodum legenti Verrinas & Philippicas Ciceronis & illas in Catilinam & Pisonem & cæteras ejus Orationes clarè patebit.

§. 6. Restat ut non nihil de partibus speci-

specialiter & propiùs agamus, ut sunt  
*Exordium, Propositio, Confirmatio, Narratio,*  
*Peroratio.* Exordium præstare debet,  
 ut sit Auditor & Iudex attenus & be-  
 nevolus. Quod fiet, si 1. à *persona no-*  
*stra, deinde adversarii, tertio* Iudicū rectè  
 sciemus argumentum dicendi sumere.  
 Et quidem à Persona nostra 1. *Modesti su-*  
*mus* & extenuamus nos nostraque, ut  
 præivit Cicero pro Quinct. c. 1. Atque  
 2. *hic male* in dicendi & difficultatem  
 aut accusandi aut defendendi in majus  
 attollimus atq; exaggeramus, ut facie-  
 bat Cic. III. in Verrem, dicemusque  
*premi nos auctoritate Adversarii*, qui vir sit  
 eloquens, gravis & magnæ auctoritatis  
 quod pro Quinct. Cic. fecit, cum Hor-  
 tensium se vereri memorabat 3. *Officii*  
*tamen rationem sic postulare dicemus*, ut cau-  
 sâ bonæ non deesse potuerimus, &  
 malæ non permittere ut vincat. Cic. 1.  
 Verr. c. 57. Hic in universum observe  
 noster, Argumenta desumenda esse ex  
*Honesti & Necessarii* loco præeunte Tul-

lio 3. in Verrin. c. 14. Deniq; hæc exornabit per *contentionem*, *comparationem* & *interrogationem*. Porro à persona adversarii tribus utetur locis 1. *Deteges fraudes* ejus & *technas consiliorum*, ut Cic. 2, Verr. 2. *Deinde creet* adversario odium & *invidiam*, ut 3. Verrin. 3. *Contemnat* ejus *argumenta* per *Irrisionem*, quando vel *inferiorem* se sentit beneficio *Præteritionis*, vel *superiorem* esse se cōfidit, beneficio *insultationis*. Sic Tull. fecit pro Amarino cap. 54. *Postremò*, à persona Iudicum, *commendationem* instituet tripliciter, velenim dicet, sperare se omnia benevola ac egregia ab ijs quos semper tales esse deprehenderit, quales optasset. Atque hic causas subnectet, integritatem & incorruptum in judicando affectum, candorem, pietatem & justitiam. *Vel nonnunquam officii eorum eos admonebit* cum gravitate, si sit ipse in existimatione, vel cum humanitate, si decorum sic requirat.

Non



Non omitti debet, à causa & ejus ad junctis s. circumstantiis hic quoq; peti materiam persuasionis. Sic solemus ex ipsa causæ medulla & penetrali sententiam aliquam desumere, *quâ tanquam sine contradictione vera ceu umbone nos premunimus*, Vim vi repellere licere Cic. assumpsit pro Milone.

Aut à *tempore & loco*, ex causæ qualitate, ex magnitudine periculi & publici boni elicimus aliquid nervorum, quibus sermonem inchoamus, quod prudentis Oratoris arbitrio & prudentiæ relinquendum est.

§. 7. Atque hæc exornantur deinde *per Noema*, s. occultam Gnomam, *per Apostrophen*, ut quasi ab omni culpa remoti audacter adversario nos sistamus, *per Iterationem*, quæ vehementiam desiderat etiam in gestu, & denique *per Exclamationem*. PROPOSITIO. Huius duo sunt officia, *ut erudiat & occupet*. Nam quanquam sæpè hæ partes Exordij quoque constitui soleant, tamen nihil

vetat, quò minus in *propositionem* refer-  
ventur. *Vt erudiat*, perspicua & rebus  
novis promittendis aut arduis, aut non  
vulgaribus occupata esse debet; *ut occu-  
pet*, causæ bonitatem producet, argu-  
menta clara & extra aleam. *Brevis* de-  
nique erit, & ad obtinendum finem  
suum *partitione* utetur, aut, si defendet,  
*Argumenta adversarii producet*, quorum in  
*confutatione* explosionem validam pol-  
licebitur. Cic. pro Ligar. pro Cœlio.

§. 9. Narratio, si causa bona sit & le-  
gitima perspicua esse debet & verbis  
dilucidis concepta, ut docet Cic. pro  
Milon. Sin adversa & iniqua causæ fa-  
cies, *occulta sit*, necesse est, id est, ita con-  
structa, ut non statim cuivis in oculos  
incurrat error. Aptari quoque debet  
ad mores Iudicum & Auditorum, quos  
pernoscat oportet persuasurus prius-  
quam in forum descendat & contenti-  
onem. Si defendet, *flebilem faciat* & ad  
*commiserationem quàm aptissimam* ut ap.  
Tull. 7. Verrin. Vbi singula rerum ge-  
starum

starum in facto illo, quod adest, momenta per sequetur, & modò *Hypotyposi*, modò *Apostrophe*, modò *Exclamatione*, *Indignatione* mox & cæteris ejusmodi motibus infertis luxuriabit: Vt si quis nuper in causa Caroli I. regis Britann. defensus eum dixisset *per Narrationem*, quàm miserè per tot jam menses habeatur, illudant ei lixæ & calones, despuant etiam satellites & ministri, squalleat regia illa facies, & caput olim corona coruscans, nunc fæto & horrore sit involutum, &c.

§. 10. Confirmatio continet penè omnia illa Probationum & Figurarum genera, quæ in antecedentibus sunt enumerata breviter. *Primò* igitur ut ex arte confirmemus, teneat noster, confirmationem esse Geminam, *aut criminis tantum unius depulsionem, aut plurium coniuñtorum.* Ibi ordine argumenta sunt proferenda, hic confusè & sine cura. Cic. ix. in Verr. Vbi duplici arte usus esse deprehenditur, *obiicit & percur-*

*rit enim flagitia Verris, primò, secundū  
Temporis & deinde Honoris ac officiorum e-  
ius Gradus.* Quod cum ad ordinem,  
tūm ad commovendum mirè valebat.  
Nam tamdiu exercita malitia ac im-  
probitas facilè concitant odium, & per  
tot officiorum honores non corrigi  
sed efferari, vel impellat sine negotio  
ad invidiam.

Cæterum subtiliter & hoc fieri pot-  
est, *ut statim initio conglobemus vitia adver-  
sarii & scelestè facta*, idque ideò, ut ani-  
mi in fronte sermonisque ingressu ex-  
pugnentur. Vbi *inrepatio & dura inse-  
ctatio* usui esse poterit. Tum è vesti-  
gio cum vehementia accommodamus  
eorum insectationem ad præsentem  
occasionem & qua possumus testium  
nube obfirmamus. Exornabit id *Excla-  
matio & vexatio.* Cic. pro Cæl. c. 71.

§. II. Peroratio. Hic in accusando  
duo adhibentur, quibus oratio termi-  
netur, Iræ motus & indignationis, qui-  
bus utitur ad Iudicum animos eò quo-  
que

que traducendos. Cic. pro Milon. 81.  
 In defendendo contra lenitatem in fi-  
 ne usurpat, & ad eandem Iudices quo-  
 que deflectit. Utiturque tunc *Proso-*  
*popaia, Apostrophe, Contentione*, quâ virtu-  
 tes sui clientis cum adversarij vitijs cō-  
 mittit, ipsumque reum lamentabili  
 sermone Iudices alloquentem intro-  
 ducit. Potest & per *derisionem* sæpè  
 adversario insultare eique impudens os  
 & pectus exprobrare, qui sustinuerit  
 tam pium, probum & innocentem  
 Civem tam horrendi crimi-  
 nis reum pera-  
 gere.

\* \*  
 \*

E 6 AR-



## ARTIFICII ORATORII

PARS SPECIALIS

&amp; Altera.

DE AFFECTIBVS.

MEMBRVM I.

§. I.



Affectus homini natura tribuit, i.e. motus & alterationes quasdam animi, quibus modò in voluptatem & gaudia, modò in morosas & tristes impellantur cogitationes. Hos scire non solùm sed penitus pernoscere Orator debet. Nam cum ante persuaderi nemo possit, nisi sit prius captus & expugnatus ejus assensus, hic autem consistat in animo, animus autem subjaceat affectibus, circa omnem  
ale-

alcam hi cognoscendi prius sunt ei, qui excitare eos volet, quàm permoveat voluntatem. Adeò ut artificio omni artificiosior hic sit Orator, quippe qui hic omnes ferè & docti & prudentis & disertis partes peragit. *Docti* ideò, quia & Physicæ peritia & Ethicæ, *Prudentis*, quia Politicæ & circumspectæ actionis necessitas, *diserti*, quia facultas aptè eloquendi simul eodem ferè momento ab eo exquiruntur.

§. 2. Scienda igitur primò, affectuū horum *qualitas & constitutio*. Non enim sunt omnes iidem, sed alij sunt *vehementes*, alij sunt, *lenes & sedati*, hos ἤθη illos πρέθη Græci nuncupant. Hos in suadendo, illos in dissuadendo hos in defendendo, illos in accusando adhibet prudens Orator. Deinde quia ob persuadendum hos scit, persuadentur autem Auditores & Iudices, clarū est, *utriusq; & audientis & iudicaturi affectus esse debere & perspectos*, ne apud Iudicem mitem & mansuetum atque ab o-

mni contentionum genere alienum  
 tenet & fulminet quasi fracturus om-  
 nia rostra & subsellia, neve contra ap-  
 heroicū & animosum dormiat & som-  
 num quendam Orationi inducat, aut  
 torpeat sermo & languidè emanet. Aut  
 si apud eiusmodi Iudicem causam di-  
 cat, vehementer peragat lenes illos af-  
 fectus, & quoties vel ad *clementiam* vel  
 ad *miseriordiam* impellere est animus,  
 id concitatè & aptato ad id sermone  
 efficiat. Nam ut quisque animatus est  
 ipse, sic & alium dicentem, eo cum af-  
 fectulibenter audit. Non igitur ex-  
 iguæ hoc operæ est in Oratore.

§. 3. Porro quemadmodum duo sunt  
 in quæ actiones & res humanæ distin-  
 gui solent, *Bonum* & *Malum*, ita & hic e-  
 venit, ut affectus versentur vel *circa bo-  
 num*, ut sunt spes & lætitia, vel *circa ma-  
 lum*, ut sunt, metus & tristitia. Et quia  
 in animo nostro est quædam vis & fa-  
 cultas appetendi, oritur ex ea vel ap-  
 peti-



petitus boni & nominatur amor, qui appetit *vel rem absentem*, & dicimus desiderium, *vel presentem*, & nominamus gaudium. Qui cum iterum defistit aut amovetur, fit *odium & tristitia* sic & quia prætereà in animo nostro hæret quædam *irascendi vis ac impetus*, cum sese movet ille ac exserit, nascitur *ira*, quæ cum residet & defervescit, *Mansuetudo* nominatur & lenitas. Et hæc (sc. ira) ob mali presentis metum. Ex futuro autem malo nascitur audacia, cui opponitur timor. Ita ex bono futuro spes emanat & cum hæc evanescit, fit *desperatio*. Quæ est origo affectuum breviter & quantum nostro Tyroni competit, explicata derivatio.

§. 4. Sequitur artificium & quæ eò *Regula.*  
spectant *admonitiones præceptionesque non-nulle*, quas ad commovendum observet Orator necesse est. Atq; hic ante omnia studere debet, ut ejus modi argumenta adhibeat, quæ ad motum excitandum sunt

112 *ARTIFICII ORATORII*

sunt idonea i. e. quæ tanquam in se cō-  
 tinent aliquid probabile, aut vim illam  
 qua ad assentiendum auditor permov-  
 veri queat. Hoc docebunt non tan-  
 tum Oratores, vel ij qui in prosa ora-  
 tione scripserunt, sed & Poetæ, qui pro-  
 fectò nihil aliud sæpè agūt, quam quod  
 egisset Cicero in Rostro, Romæ. Ex-  
 emplo est liber IV. Æneidos, ubi A-  
 mantis Didonis fabula plenissima est  
 Oratori's affectibus, & apud Ovid. Me-  
 dea in lib. Metam. Apud Statium quo-  
 que & Silium præsertim Italicum, qui  
 id studio egisse videtur, innumera sunt  
 quæ hoc evincunt, loca. Quare om-  
 ninò hi sunt Candidato eloquentiæ le-  
 gendi & quidem diligenter.

§. 5. *Secundò* requiruntur necessariò  
 in Oratore qui movere alios volet, *ex-  
 istimatio Innocentiæ & integritatis.* Ab  
 eo enim permoveri ad assentiendum  
 sermoni ejus nemo potest, quem non  
 talem esse credit, qui dignus sit & id  
 mereatur. Vir igitur probus & inteme-  
 rata

ratae famae ac opinionis sit oportet noster Orator, qualem videt Ciceronem semper sese praedicare civibus suis Romae.

§. 6. Tertiò vitæ conditio & status Oratoris plurimum quoque hic valet, ea autem consistit vel in ætate, ut cum senex grandævæ auctoritatis vir procedit quis non facilè commovebitur: quod docere voluit Virgil. i. Æneid. quando describit seditiosum vulgus comprimi auctoritate progressi viri gravis & severi. Aut quis dubitabit Romæ Catonem non facilè nisi victorem è Senatu rediisse domum? Nonnunquam quoque sic comparatum est cum causa ipsa, ut *Juvenis eam deceat magis*. Nam (quod alibi inquebat Maro) gratior est pulchro veniens è corpore virtus, & decor ille oris ac habitus corporis florens, & animosi illi gestus si rectè temperentur, vel tacitæ instar commendationis esse possunt. Deniq; & officii, quod gerit, amplitudo ac dignitas & hono-

honorificas sparta aliquid momenti nec id exiguum afferunt. Plus siquidem consulatus Ciceronis valuisse est credendus, quàm Oratoris è plebe facundia. Sic sunt animi Auditorum sæpè, ut illum hoc, alterum ille delectet & occupet magis.

§. 7. *Quartò*, Præ se ferre debet Orator eam animi affectionem ac perturbationem, quam excitare in Auditoribus suis laborat. Nam quò sincerius vehementiusque eum affectum videbunt, eò citius & ipsi & constanter permovebuntur. Ficti autem & simulati nihil hic interveniat, quippe quod omnia disturbabit, cum nihil simulatum placeat facile, sed quò sincerius & simplicius, eò gratum est magis. Nec quicquam obtinere talis potest. præter risum, quem simiæ omnes habent pro præmio. Et hæc de Persona Oratoris ipsa.

§. 8. Ex parte auditorum quatuor sunt potissimum, quæ attendere Orator

tor

tor debet. 1. *Diversitas nationis & gentis ei*  
 est consideranda, de qua supra cap. IV.  
 quædam sunt præcepta, quæ huc per-  
 tinent & repeti possunt. 2. *Status Rei-*  
*publ.* in qua perorandum ei est, anno-  
 tandus est, ut intelligat, quem finem  
 ista civitas aut semper aut tunc cum  
 ille verba facit, ante oculos habeat.  
 Sic Hollandi opes & divitias ac liber-  
 tatem, Veneti itidem splendorem &  
 Magnificentiam, Angli hodiè anar-  
 chiam aut, ex eorum sensu, Demo-  
 cratiam intendunt & odium regimi-  
 nis Monarchici. *Quod in eorum gra-*“  
*tiam addimus, qui in illustri aliquando vive-*“  
*re cogitant, ubi nulla ferè gloria constat sine*“  
*Eloquentia.* 3. Tempus diligenter  
 considerandum, Aliter enim in pa-  
 ce, aliter in bello, aliter in regimine  
 leni & aliter in duro commovebit  
 Quæ omnia cum ipsum tempus  
 tum potissimum prudentia Oratori  
 suppeditabit. 4. Rationem ætatis  
 quo-

quoque habebit, ut videat, uter numerus vincat juvenum an senum, *ut eò flectat habenas, quò currus quàm minimè audit.*

§. 9. Hæc omnia ut oratoriè comparentur *loci quidam Generales* sunt tenendi, è quibus ejusmodi exornatio desumi queat. Et quidem *primò* in univèrsum dominatur hic hypotyposis i. e. ejusmodi depictio atque delineatio, quâ res ad vivum exprimuntur, ut penè ante oculos geri fierique videantur.

*Deinde* solemus quasi in genere, ab habitu oris, s. deformis, pulchro commovere. 2. *Vel à moribus & studiis.* 3. *Vel à Fortuna & ejus qualitate, ad concitandam iracundiam & commiserationem, quod fecit Virg. I, Æneid. & IV.* 4. *Vel ab ætate, sive enim senex sive juvenis sit, utraque ætas habet quod movet, ibi imbecillitas & auctoritas, hic venustas & immaturitas.* 5. *Vel à Patria, ut Æn. 2. Æneas ardet ultione quia patriam videbat collapsam.* 6. *à sexu.* Sic Camilla

milla ap. Virg. xi. Æneid. 7. Ab *affinitate* & propinquitate aut cognatione sanguinis. 8. à *Loco*, ut Palinurum deflebat Æneas l. v. quod in ignota jaceret arena & Archytam Horatius. 9. à *Tempore*, quod fit tripliciter 1. Diuturnitatis, 2. *Brevitatis* & 3. *Commoditatis* aut antiquitatis commemoratione, ut, cū calamitatis perpetuos annos, felicitatis nimis brevem fructum allegamus, 10. à *Causis*, ut cum mortis bellicæ consolationem suscipimus, affirmamus, optetere mortem pro patria & Religione, gloriosissimum esse mortis genus, 11. *Ab ipsius rei quæ gesta est qualitate*, quæ describenda est per omnes circumstantias, eo quo supra docuimus modo. Virg. 10. Æneid. ubi agit de sævitia Mezentij 12. Deniq; & à simili, quando ab amœnitate aut miseria est deductum fortiter commovemus. Vt si quis Rempubl. periclitantem describat & compareret cum navi. Quod facit Horat. l. 1. Od.

MEM-

118    ARTIFICII ORATORII  
MEMBRVM II.

De

*Generis Deliberativi affectibus.*

ME TVS.

§. I. Metum ut cieat Orator duo tenere debet. 1. Dicit *magnum aliquod adesse periculum.* Quò enim atrocius id esse audiet Orator, eò facilius assentietur, cum nemo libens periculum audire aut adire quod se tangat, velit. 2. Sed quia sic animus humanus est, ut quod longè adhuc abesse credit, non alacriter capessat, nec adeò validè timeat, addet mox, *imminere & presens esse atque ante fores.* Sic hodiè Mazarinus ad bellum excitare posset suos à parte Regis, quod ni maturent, Iugo Hispano propediem Franciæ colla sint submittenda. Vtemur in suasione & dissuadendo aliquid, quod nobis ingratum est. Exornari hoc debet per *Exaggerationem ac Hyperbolem.* Non enim



enim opus est, ut Orator semper rem dicat, modò finem suum, id est, assensum auditoris obtineat & consequatur. Cicero etiam usurpavit in Iure-diciali pro Milon. 5. & Philip. 12. 7, Deinde potest illustrari quoque per *hypotyposin*, quod fecit Cicero pro Leg. Agra. orat. 1. c. 26. quando charissimarum rerum jacturam esse faciendam demonstramus, nisi hoc quod suademus suscipiatur maturè.

§. 2. Portenta & Prodigia, ut sunt, *soles cum plures, Defectiones Luna, Cometarum apparitiones, monstrorum partus, & alia id genus plura*, vim ingentem ad commovendum habent. Utitur Cicero de resp. Arusp. n. 62. & Poetæ Tragicæ ut inter Latinos *Seneca*, hic sunt felicissimi. Pertinent huc *Fluminum Inundationes, tonitrua horrenda & fulmina quæ coniunxit Horat. l. 1. Od. 2.*

§. 3. Cum a. contra *Personam* aliquam suademus vel dissuademus rectiùs, tum duo attendim<sup>9</sup>, *voluntatem ejusd. nocēdi &*

di & *Potentiam*. Dicimus E. G. desumpta materia à dissidio Belgico & Anglicano hodie glifcente, in Batavia sc. perorantes fortè, *vigilent cives & videant periculum*, Nam cum eo hoste esse rem, qui propè in singulas dies noceat, & porrò sic lædere Belgium queat, ut nemo magis.

Neque dubitent de studio & voluntate eorum, quos audiant quotidie navium opulentissimarum rapinas exercere, & latrocinia piratica, neque de eorum potestate dubitent, quos videant jam ultrà centum Liburvicis instructos. Addi quoque *tertiò*, celeritas & promptitudo potest, multum enim hæc in bellis non tantum valet, sed & in casibus omnibus periculosis.

§. 4. Exaggeratur metus periculi tribus modis 1. *Ab iniuria* accepta & inde orta vindicta cupiditate. Cum ostendimus, eum contra quem aliquid suademus duri, acceptam olim à nostra Rep. aut Principe ejus injuriam ulturum

rum procul dubio esse. Eò igitur gravi-  
 or metus efficietur, quò quisque novit  
 crudeliùs agere ultorem, quàm hostè  
 non laceffitum unquam. 2. In suaden-  
 do, *ab iniuria illata sumemus nobis argumē-*  
*tum movendi* & dicemus, minus gene-  
 rosum & laudabile fore, sic sine justa  
 vindicta mussitare illatum damnum  
 aut contumeliam aut injuriæ genus  
 quodcunque. Quo loco uti posset  
 Dux Rupertus ap. Franciæ Regem &  
 proceres Belgicos, quos locuplete na-  
 vium onustarum penu spoliavit Anglus  
 pirata. 2. *Ab amulatione* ut si Mazarinus  
 contrà Condæum inflammare vellet  
 Regem, diceret satis manifestum esse  
 Condæi conatum eripiendi regiæ ma-  
 jestati coronam debitam, eamque ad  
 caput suum deducendi, aut certè ali-  
 quid huius dignitatis sibi vindicandi.  
 Non autem posse mundum duos soles,  
 nec Franciam duos Reges pati aut su-  
 stinere Lucan. lib. 1. & Cic. 1. offic. 26.  
 hoc utuntur.

122 *ARTIFICII ORATORII*

§.5. Præterea ab *Adiunctis* variè hic suppetit copia. 1. *Primò* enim communio s. participatio & societas sceleris aut cõsiliij adduci potest, metuere enim eos solemus, quos arcanorum nostrorum conscios esse novimus. Juven. Sat. III. 2. *Deinde* odium occultum & tecta ac dissimulata ira incutit timorem validum. Nam dicente Seneca, *Ira quæ tegitur nocet.* Canes autem multum latrant & raro mordēt. 3. Ex hoc oritur ferè *desperatio*, cum quis non posse se videt peragere quod cupit, nisi abjecto omni pudore & verecundia. Quo igitur quis desperatior, *timetur* acrius. 5. *Recordatio præteriti mali* quoq; metum infert, ut allegat Horat. *Lib. 2.* ubi ait, timuisse, homines, ne seculum Pyrrhæ rediret nova monstra, questæ. 6. Quæ omnia illustrantur & comprobantur exemplis.

*SED ANDI METVM ARTIFICIVM.*

§.6. Tria sunt, quæ in hac tractatione Motuum sunt perfectio oratori semper

per

per habenda ante oculos. *Primum est, Concitatio, Sedatio, alterum & Tertium descriptio.* Nam non sufficit, ut sciat excitare, sed & requiritur ab eo, ut justo tempore extinguere eam flammam & delere possit. Vtrumque adjuvatur *descriptione*, quâ illum animi affectum ad vivum depingimus & explicamus ornatè.

Quamobrem hic *primo* ad sedandū metum Philosophiæ subsidium est accersendum, quod peti è *Seneca* potest, ejusque Epistola cx. Ac *in initio* statim abstrahendus animus à consideratione mali futuri, quod id sit, *facere se miseriorem antequam adveniat miseria*, qua firmus futuri in ipsa calamitate involuti. Nam optare malum, est quidem malum, sed idem timere pejus. Recordatio proinde futuri incommodi præcipuè & operosè est eradicanda evellendaque. Aut si hoc non posse citra vanitatem fieri, videbitur, extenuetur ipsum illud, quod time-

tur malum, diceturque. *Non esse tam atrox aut grave, quod probabitur ab inferentis qualitate, potentia & viribus.* Ut si quis hodiè in Gallia ostendat, Condæi cum Hispano Coniunctionem non fore diuturnam. *Tertiò* magnitudinem præsentiamque animi nostri erigamus & exaggeremus. Vos ne cedite malis sed contra ite audentiores. Magna virtus non potest in tenui discrimine se se exferere. *Quartò*, promittamus melioris fortunæ lucem, quam addamus, *in vicino esse.* Hoc enim & illud quod timeamus, removebit longius, & id quod speramus, propius adducet. Virg. i. *Æneid.* dabit quoque Deus his finem. Lucan. lib. 2. *Quintò*. Prudentiæ mentionem faciemus, ita, ut dicamus, *sapientis esse præmunire pectus ad quævis terribilia.* Horat. lib. 2. Alteram fortem ait non timeri à bene præparato pectore. Et quamquam fractus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ. Tela verò prævisa minus nocent. *Seneca Tranq. An. c. 11. & Ep st.*

*Epist. XIV. Sextò*, Auxilium divinum adfore memoremus. Quod in obsidionibus solenne est.

§. 7. *Descriptio.* Quoties aut fæditatem timoris & ignaviam alicui proponere voluerimus, aut dissuadere & insultare in Oratione, toties hæc utilis erit & apta. Ad eòq; desumenda i. *Ab Effectis timoris*, quæ florido & exuberanti stylo depingi debent, ut sunt *Pallor*, *Horror membrorum*, *Genuum collapsio*, *Sudor*, *somnus inquietus* & *perpetua vigilandi molestia*, *suspitio*, quia plerum metuens est suspicax, *sparsi in populum rumores*, timidum enim vulgus sæpè quod metuit futurum esse, vanè effutit fingitque, *Fuga*, & ad minima quæque, etiam strepitum folii consternatio. Quod eleganti oda lib. I. Cæmi. Horat. ad Chloen fecit. *Porro*, *Audacia*, quæ oritur ex metu & *desperatio*, *vox interclusa* & *arrectæ horrore comæ* Virg. I. *Æneid.* *Muliebres preces* & viro indignæ *supplicationes*, *solitudo* denique. Nam omne fere solitarium plenum est

formidinis. Tacit. de morib. Germ.  
*Querela & lacryma feminarum non virorum  
 propria.*

### AVDACIA.

§. 1. Contrario circa audaciam artificio opus est, præmittendum vel aliquid quod ad majorem facilitatem comparandam facere videbitur. Tunc enim audaces sumus, cum vel horribilem rem aliquam, vel malam aut certè quam malam esse nobis finximus, de cervicibus nostris depellere satagimus.

Aut cum rem nobis gratam aut jucundam, quam ne appropinquet impediri sentimus, accersere nostro studio alloboramus, & contra res malas istas dimovemus longius atque avertimus. Itaque *circa malum impendens occupata est.* Audacia, quod vel publicum est, ut sūt *bella, pestis, famēs,* vel privatum, *isclura rei familiaris, morbus, & cetera pericula domestica.*

§. 2



§. 2. Hanc ut concitemus in Auditore nostro, his utemur locis. *Primò* Animum excelsum & erectum ei *instillemus*, aut si adest, *excitemus*, quod facit Virg. lib. 6. *Æn.* Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. *Vide Senec. Epist. XXCII.* Deinde, Avocemus animum à consideratione periculi, quod depelli optamus. Non enim audens ille adibit periculum, qui animum gerit impeditum horrore. Eximendum hoc è pectore est, dicebat Seneca? *Tertiò* extenuemus & quam levissimum esse dicamus, quod tam meticolose suscipitur. Vbi propius aspexeris, apparituram tenuitatem. Huc multum conferet legisse *Senecam in Epist. XXIV. Liv. lib. 1. Dec. III.* Exemplum dat Annibalis. *Quartò*, Geminamus artificium & quidem primò dicimus, *Fermè superat in esse media ex parte difficultatem*, eamus ergo & absolvamus cum gloria, quod ejus studio cum virtute inchoavimus. Alexander apud *Curtium*

128 *ARTIFICII ORATORII*

*tium l. VIII.* hoc loco utebatur ad milites. Vel, nisi id fecerimus, *quanta inde in nos sit redundatura ignominia & turpitudine* apud omnes artificiose ostendemus. Quod apud Thuanum faciebant in Gallia Condæus, in Belgio Arausionensis, Tom II. & III. *Quinto*, Auxilia virtutis & audaciæ nostræ, ac subsidia victoriæ allegamus. Eaque duplicia, vel *Humana* ut sunt, *Favor Principis*, aut *Procerum*, quod fecisse Iesuitas in Anglia & Gallia & Belgio & cæde Henricorū & Principis Arausionensis ac Iacobi VI. si successisset, legimus, *Copiarum & comæatum copia*, *Ducum præstantia & felicitas*, reliquorum ardor & animositas armorum item copia, & splendor. Vel *Divina*, ut Favor supremi Numinis, *Prodigiorum felix apparitio & fausti ominis*, quemadmodum Cæsar lapsum suum vertebat in bonum, & dicebat *Teneo te Africa*, quomodo Scipio & Columbus militibus aut horrorem ademerunt aut minuerunt certe. Cic. VI. Philipp. cap.

cap. 10. Verum cautione hic opus est  
*Ne quid fictum hic intersit & ineptum sed à  
 Iudicio sano & subactò profectum.* Nihil e-  
 nim in rebus excelsis nocet magis, quã  
 cum Auditor sentit, sibi imponi per le-  
 nocinia orationis. *Sextò*, Acuimus for-  
 titudinem à vindicta & ultione rei in-  
 dignæ, quam olim perpeffi sumus. Sic  
 sæpè in historia Gallici belli ap. Thua-  
 num legimus Tom. I. & II. efferatum  
 esse militem Protestantium, quoties in  
 ea loca veniebat, ubi meminerat cives  
 exustos, & videbat erecta quondam fa-  
 cella subversa & deturbata. Contrà  
 Romano-Catholicum exacerbatum,  
 quando isthuc erat delatus, ubi videbat  
 Tempia Calvinistica, & Cruces contra  
 ac picturas suas explosas. *Septimò*, Ne-  
 cessitatem adducimus etiam non rarò,  
 quam jubere dicemus *aut vincere aut  
 mori.* Hic locus enim vehemens est  
 & in bellis oportunus quàm maximè.  
 Nam cum sit contrarium naturæ, ad-  
 eoque nemo volens mortem a deat fa-

130 *ARTIFICII ORATORII*  
cile & sine sensu doloris, eliget auditor  
alterum & pugnando cadere præopta-  
bit. Solatium enim apud Virg. lib. 2.  
Æneid. Heroum erat: *Non moriemur inul-  
ti*: Et fortuna in bello potissimum do-  
minatur, ubi sæpè victor victus legi-  
tur. *Octavo*, A vitæ puritate ac Inno-  
centia exacuamus. Hic afferemus,  
*curam religionis, Pietatem, Bonam causam,*  
sic Horat. Hic murus aheneus esto  
Nil conscire sibi: Et sæpè *excudit arma  
pudor*. Cic. orat. 2. Catilin. *Nonò*, A  
propria virtute, nonnunquam & a vita  
fortitudine. Cum dicimus, memi-  
nerint pristini roboris, quo olim usi  
victoriam fuerint adepti. Virg. lib. 1. &  
Horat. l. 1. od. *O mecum gravioraque pas-  
si sæpè Viri*. Aut *adhortabimur*, ut tuean-  
tur acceptam à majoribus strenuæ mi-  
litia & fortis animi laudem, neq; com-  
mittant, ut tam laudabilis memoria  
proavorum, in ipsorum ignavia inter-  
stinguatur, Cic. pro Leg. Manil. cap.  
12. *Decimo*, At imbecillitate hostium  
ab eo.

ab eorundem impuritate, & scelestis moribus nostros animare possumus. Non enim potest ibi constans florere, ubi regnat libido, luxuria, oppressio miserorum & omnifaria crudelitas *Cicero 2. Catilin.* Undecimò, A consequenti ducemus validum artificium. Et quidem primò, *Gloriæ immortalis consecutio*, qua nemo non ducitur etiam abjectior, *Premiorum adeptio*, Prædæ spes opimæ, quæ incitare solent fortiter. *Postremo à desperatione*, quod docet locus lib. 2 *Æn. Virg.* ubi *Æneas caput objectare periculis decreverat & mediam petere per vulnera mortem.*

§. 3. Comprimimus jam & contraria via incedimus. Ac primò quidem ruentem hunc impetum & laxo se prorumpentem freno sistimus paulisper & sufflamimus 1. *Magnitudine periculi*, cum monemus audentem, *videat & circumspiciat molitiones suas.* Rem esse non uno ictu conficiendam, dura-

turam longiùs & tracturam secum vel mille incommoda. *Parce puer bello* agebat Virg. 9. Æn. *Secundò*, virium imbecillitate. Nam ante omnia necesse est seipsum æstimare. Seneca de Tranquil. cap. IV. Et quam infelix sit Phaethonris audacia & Icari fabulæ docent. Hoc extendimus variè 1. *ab ætate*, ut ap. Stat. lib. IV. 2. *à Persona & statura*. 3. *ab officio*, non esse ejus tanta aggredi, sed relinquenda superioribus. 4. *A defectu auxiliorū*. Non solum eū id perficere, socios autem & Auxiliatores nondum adesse, aut si adsint, nec ipsos esse pares periculi. *Tertiò*, Audaciæ infelicitate deterremus validissimè. Quando exemplis declaramus, quàm sæpe temeritas luerit pænas dignas. *Ancaeo nocuit temeraria virtus*. Ovid. VIII. l. Metam. Fab. IV. *Licet eminus esse Fortibus*. Consiste igitur & reprime Te. *Quartò*, Fortunæ inconstantia. Sæpè etiam Alexander victus est. *Fortuna iniqua est maximis virtutibus* Nemo se tutò periculis obtulit.

tulit. Quem sæpè transiit casus, aliquando tamen oppressit. *Sen. in Herc. Furent.* Hoc extendimus, *Commemoratione fragilitatis rerum humanarum.* Desinat elatis quisquam confidere rebus. Incertas rotat fortuna vices. Nemo tam divos habet faventes, crastinū ut possit sibi polliceri. Legatur *Claudian. in Rufin. l. 2. & Senec. Trag. & Lips. lib. III. c. XI. Politicor.*

§. 4. *Depingimus Audacem, quod Oratori vel maximè inservit in disuadendo & exornando sermonem, vel etiam in commendando, I. A promptitudine.* Hæc enim est audacis nota, nihil metuere & paratum esse vel ignem transire, sic *Lucan. lib. I. miles ad cæsarem:*

*Duc age per Scythiæ, populos, per in hospita  
sytis*

*Littora, per calidas Lilyæ sitientis arenas.*

Exemplo est *M. Curtius. Mutius Scævola, Alexander Magnus Curt. lib. VI.*

Quod exornare potest *Hypotyposis & sermocinatio.* *Secundò, à modo & quali-*

tate rei quam audax aggreditur. Vbi exaggeratur ejus atrocitas, ut auditori eò clariùs appareat natura audentis. Cic. 4. in Verrin. & 1. in Catil. Tertio à moribus audacis, contemptu omnium quæ obijciuntur, amor sui & fiducia, cujus exemplum *Ajax* est ap. Ovid. & *Homerum*, qui Hastam suam alloquebatur tanquam Deum & in ea reponerebat fortitudinis successum. *Superbia*, ut ille, *aq̄ talis astris gradior*. Periculorum insatiabilis ardor, ita quidem, ut ne somnus ejus vacet imagine audacis capti. *Arma amans fremitu & tectis toto arma armare requirit*, dicebat Maro. Apud Lucan. lib. 2. audax Cæsar sic describitur & *Claudian. de bell. Got. & Virgil. lib. 12.* in Turno speculum Audacis hominis eruditè exhibere possunt. *Iactantia* quoque comitatur Audaciam. Nam

1. quisquis audax est, ostentator simul & jactator suæ, ut existimatur, est fortitudinis. *Spes continua*. Sperat enim
2. semper, etiamsi nihil videat quod fomitem



mitem alat sperandi. *Securitas.* Est enim in media tempestate Cæsar securus & inquit: Confide nauta, Cæsarem vehis. *Contemptus mortis.* Ruit enim per tela per ignes. 3. 4.

## MEMBRUM TERTIVM.

De

*Affectibus Demonstrativi.*

## LÆTITIA.

§. I. **I**N universum tenere hic noster Candidatus debet, tria esse hic generalia Præcepta, Primo, ut *stylus sit reversus, mollis & delicatus atque ad exhilarandum auditorem accommodatus rectè*, Quod fiet *Secundò*, si argumenta, quæ adfert, sint primò ingeniosa & amæna, dein, nova nec ferè animadversa vulgò & denique exquisita ac selecta, *Tertio*, ut *Figuræ & sententiæ*, præcipuè verò *simi-*

*similia adhibeantur egregia, & lætitiæ excitandæ nata, ut à floribus, ab hortis, à campis, à vere, ab æstate, à cœlo & siderib<sup>9</sup>, à lacte, à putpura, ab auro, à gemmis desumta.*

§.2. Concitabit & movebit lætitiã ergo sic. *Primo*, à Fortunæ commutatione in melius, quod fecit Cicero *I. Catilin. cap. 2. & 3.* Vbi nervoso simili utebatur à valetudine post morbum recuperata desumto & *2. in Catilin. initio.* Est enim aliquid in acerbis, quod postquam præterierunt, delectat & titillat sensus, uti id egregiè ostendit *August. Conf. cap. 3. lib. VIII.* Exemplo Ducis in Bello triumphantis, & Ægri post morbum exultantis. Quia tum demum sentimus precium boni, quod possidemus, cum intervenit dolor qui id subtrahit.

*Secundo*, comparatione nostræ Fortunæ cum aliena etiam oritur gaudiũ. Ut cum quis felicitatem Germaniæ hodiè comparet cum turbulenta Gallia,  
peri-

periclitante Belgio, confligente Polonia & laborante Anglia, major inde surget lætitia, quàm si nudè & sola posita fuisset. *Tertiò*, Occasione insperatæ fortunæ. Solemus ferè mortales id non adèò amare impensè, quod nobis non multo consistit, verum gaudere plus solemus, cum præter spem inactamur aliqua fortuna, quàm cum eam diu quæsivimus. Atque id mirè commovet, præsertim exemplis & longiuscula Narratione exornatum. *Quartò*, à novitate exsurgit procul dubio gaudium. Natura enim hominum novitatis semper est avida. *Quintò*, Admiratio, quæ ex novitate oritur, facilè commovet, ut cum vel Personæ magnitudinem ac splendorem, vel casus felicitatem admiramur. Quemadmodum hodiè in Anglia de Cromvvello aliquis hæc ostèdere sine negotio possit, si dicat, vincere omnem admirationem istius viri fortunam. *Quare in Panegyricis & illustribus orationibus huius usus*

*sus est proprius.* Sexto, A loci Amānitate oritur quoque animi erectio ad voluptatem contemplandam. Vbi & Temporis suavitas multum valet, Hęc consistit in floribus, fluviis & lenè cachinnantibus rivis, hortis & veris adulatione, ut *sic dicam*, ac blanditiis, umbris vallium & nemoris incolis dulcissimis avibus, & ijs quidem non unius generis. Dicitur *Topographia* & occurrit apud *Hom.* in *odyssæa* de regia Alcinoi. In *Barclao* passim amānissimæ extant. *Septimo*, Ab internis, quæ in ipso sunt homine, gaudere quempiam facimus. Ut sunt *bona conscientia*, quâ in hac vita nihil optabilius, nihil trāquillius & ad lætitiā solidam aptius. Vid. *Lips.* 1. *Polit. Mores honesti & compositi, vita benè & cum laude transacta*, horum enim memoria indubitato excitat gaudium. Vid. *Senec. Epist.* xxiii. & Lxxiii. *Octavo*, A descriptione ipsius Gaudij nonnunquam & crescit & surgit gaudium. Describimus autem ab effectis, qua-

qualia sunt, *Lacryma*, nam hæ non raro funduntur præ gaudio nimio. Deliquium animi, cujus exempla duo in fæminis exhibet *Liv. & Tertulian. de Anim. c. LII.* Mors quoque ipsa, *Frontis serenitas & compositus vultus.* Non adjicimus, *securitatem & reportatam ab inimico victoriam.* Nam lætitia in quiete demùm perficitur, quies in pace consistit, pax in victoria.

§. 3. Comprimitur & amovetur gaudium variè: *Primo*, vanitate rei ob quam gaudemus. Vbi dicimus *momentaneum esse gaudium*, idque ex rerum humanarum miseria aptè demonstramus. Transit instar nubis felicitas & prius quàm manum vertas, jam tristitiæ materia excipit exultantem non ita pridem animum. Lege *Sene. Epist. xcix.* *Secundo* adducimus inconstantiam, Lege *Sen. Thyest. act. III.* *Quem dies vidit veniens superbum, hunc dies vidit fugiens jacentem.* *Res Deus nostras celeri*

*celeriter rotatas turbine versat.* Adde Sen. Ep. IV. & LXXIV. & Claud. lib. 2. in Ruffin. *Tertio*, ab imperfecta ejus qualitate, cum dicimus, sincerum nunquam tam esse gaudium, quin non intercidat casus amarior. Quemadmodum Apollonius dicebat, *toto pede neminem ascendere in hunc equum.* Et Ovid. *Sollicitum aliquid lætis semper intervenire docet* Metam. 7. exemplo Ægei. Hoc per exempla verius certiùsque reddi debet. *Quarto & ultimo.* Addimus metum, qui in lætitia inest. Timet enim semper, qui gaudet, ne breve sit gaudium & interrumpatur à forte aliqua invida & adversa. Dolor ac voluptas invicem cedunt. Brevior voluptas, imo permutat brevis hora summis *Lege Senec. Thyest. Ast. 3.*

§. 4. Ex lætitiæ igitur sic compressæ quasi cineribus enascitur jam *Tristitiæ affectus.* Qui etiam si fere eodem artificio & comprimi & excitari potest, dabimus tamen nostro Candidato hujus

jus artificij quendam gustum. Et quidem *primo* concitatur Tristitia in Genere per *Hypotyposin*, cum rem aliquam miseriæ plenam & calamitatis ita per singulas circumstantias enarramus, ut flebilius nihil excogitari possit. Quod facit *Cic. i. in Verr.* & præcipuè in Iudiciali Genere adhibetur. Pressius autem tristem reddemus aliquem i. à *commemoratione consanguineorum eius cladis & infortunii*, ut sunt, vincula, cædes, funera, dissidia & contentiones vatinianæ. Vbi meminerit Tyro eloquentiæ, ut adducat circumstantiarum *narrationem* & exornet figuris *exclamandi, indignandi, & severum* in dicendo induat vultum. *Cic. sic præivit pro Cæl. 59.* *Secundò*, jacturæ bonorum mentio & facultatum nō minus hic efficiet, *Cic. pro Rosc. 145.* Hoc hodiè signantissimè uterer in regiæ Anglorum familiæ miseriis commemorandis. Quo enim ditior fortuna, eò copiosior huic affectui materia. *Tertio*, unde jam porrò *Atrocitatem*

rem calamitatis exstruimus, quæ per partitionem fieri potest, & indiget longa expositione amissionis rerum carissimarum, uxoris, liberorum, domus, familiæ honoris & officij ac dignitatis pristinae, Deinde opponantur præsentia mala, exilium, paupertas, solitudo, amicorum penuria, imò odium & contemptus & quæ huius generis sunt infinita, præceptis non tam quàm iudicio & prudentiæ dicentis relinquenda. Vid. Cic. pro Sexto. & pro Rosc. 45. Hic adji-ciendæ sunt Querelæ, persequentium hostium indignitas, nam id valdè hic iuvat attendisse, quippe cum nemo facilè patiatur bonum ab improbo opprimi. *Commiseratio virtutum.* Quo enim major virtus, eò certior altior-que commotio erit. Innocentia & cætera quæ huc pertinere casus ipse de quo dicimus, ostendet.

Thuan.  
Tom. I.  
lib. 1.

§. 5. Comprimatur & deletur hæc tempestas his potissimum remediis. *Primo*, cum mali ipsius naturam ac  
con-



conditionem excutimus, ex quo dolor est enatus. Vbi qualiscunque sit calamitas, *extenuanda est & ex oculis ac animo patientis sedulo seponenda, amoliendaque.* Atque hic diverse agimus de exilio, aliter de morte, aliter de paupertate. Ne existimet Tyro *ubique esse eandem artificii idem vel figuram.* Quod vel mediocriter sapienti vel per se patescit clarè. *Deinde, Innocentiam patientis afferimus, dicimusque, vel sine causa scelestâ & ignominiosa ei hoc immissum esse, iccirco non esse graviter ferendum, vel ob egregium facinus hoc pati illum ostendemus.* Gloria autem est, pati ob gloriosum editum facinus. Cicer. in Pison. *Tertio, conditionem vitæ humanæ allegabimus, in qua res nostræ, vita, fortuna, studia, fortuna utraque subiacet dolori. Quoquo versum te fletas, doloris imaginem vides. Quarto, A Communione miseriæ trahere*

trahemus argumentum ut dicamus,  
 Non solum eum id pati, fors a. quæ om-  
 nibus incubat vel certè pluribus levius  
 ferri debet, imò etiam potest, teste *Seneca*  
*Tragico, ferre igitur quam sortem adigun-*  
*tur omnes Nemo recuset. Quin.ò, fortu-*  
*næ ingenium subministrat doloris mi-*  
*tigandi fomitem de quo legendus Senec.*  
*Epist. XXXIX. Exemplo est Cicero pro Milo.*  
*cap. 70. Sextò, Validè dicet, qui spem*  
*gloriæ, & Fructum tolerati generosè*  
*mali adferet, ut ad Liviam Ovid.*

*Imposuit te alto fortuna locumq, tueri.*

*Iussit honoratum, Livia, perfer onus.*

Res secundæ celant virtutis ardua, ad-  
 versæ demonstrant virum. *Sallust. vid.*

*Septimum* disces è *Senec. Consol. ad Hel.*  
*cap. 1. & est tale, quando dicimus faci-*  
*lè eum quâ sit prudentia, potuisse præ-*  
*videre eventurum hoc, aut certè ali-*  
*quid tale. Quo igitur fortiùs id præ-*  
*vidit, id eò quoque nunc viriliùs ferat.*  
*Adi Ciceronem id doctè tractantem*  
*Tuscul. qv. III. num. 53. Octavò, Casus*  
 immu-

PART II. MEMB. IV. 145

immutabilitatem ei objiciemus, & dicemus, non posse fieri nunc aliter, ferat igitur quod mutari non posse videt. Cui Nonò è vestigio subnectatur, spes melioris propediem fortunæ, quæ diei & tempori sit committenda, Decimò, Voluntas divina afferenda est, ubi ostēdetur, non semper premere Numen illud benignum, quem semel tetigit durius. *Non semper imbres nubibus hispidos manant in agros, nec mare Caspium vexant inaequales procella usque nec Armeniis in oris stat glacies iners.* Horat. l. i. od. Postremò, adjici potest & *nihil profuturus dolor.* Nā quorsum macerari lugendo, nec quicquam eo proficere? Hoc est è simplici malo facere tergeminum.

MEMBRUM IV.

De

*Generis Iuredicialis affectibus.*

IRA,

§. i. Hanc inflammamus atque con-

G

cita-

citamus in accusando quempiam *Iudicum & Auditorum*, nonnunquam in cōsultando etiam *Principis* in male suadentem, aut *quoties ferè volumus*. Nos hic de Iudiciali genere & ei convenienti tractatione Iræ agamus. Concitatur ac incenditur Ira. *Primò* ab injuria & opinione contemptus. Certè nemo facile vult contemni, contemptus verò non facile id mussitat & concoquitur sed accensus ira æstuat & tumultuatur. Vbi igitur priùs ostendimus iudici aut Principi aut cuicumq; placet, cōtemtū eum ab illo esse, facile in iram eundem impellemus & sine negotio. Nam quò quis generosior est, cò impatientius fert contemptum aut injuriam præsertim si sit cum contumelia conjuncta. Nam hæc maledicta & convicia addit ad injuriam, quibus nulla novacula est acutior. *Sic fecit pro Quinct. Cicer. n. 97. Canuleius apud Livium Lib. III. Sic Turnus ardescit in iras apud Virg. l. 10.*

PART. II. MEMB. IV. 147

l. 10. II. Æneid. *Secundò*, A gaudio hostium & eorum voluptate, quam ex nostra fore capiunt calamitate. Hac nihil est amarulentius, ideoque ad iram concitandam nihil ferme aptius. *Cicer. orat. pro Sill. cap. 90.* Hic locus valet plurimum in illustribus materijs & Principem spectantibus, *Tertiò*, A personæ conditione, & quidem tam ejus qui contemnit, quàm illius, qui contemnitur. Vbi subtiliter agemus, quando illum extenuabimus & quàm nigerimum pessimumque reddemus oratione nostra, hunc vero extollemus & longè maiorem altioremque esse ostendemus. Loci sunt ap. *Virg. I. Æn. de Junone & Ovid. l. 6. Metam. fab. 2. de Niobe.* *Quartò*, à conditione causæ ipsius ob quem contemnitur aliquis. Quam dicemus esse levem. Nam quò est levior ob quam quis despicit nos, causa, eò gravior fit Ira & intensior,

148 *ARTIFICII ORATORII*

*Quinto*, ab arte contempta, quam nos exercemus. Nemo enim vult contemni id quod ipse à puero exercuit, aut ab altero profcindi sannis, quod sibi gloriosum & honorificum esse intelligit. *Sexto*, Frustratio auxiliij vel honoris non delati, vel non servati promissi immane quàm viam reddat flammantem & ignescentem magis *Cic. pro Flacco 2. Septimo*, ab Amicis, odia enim propinquorum sunt implacabilia, & quæ inter fratres aut eos, quos nobis devinctos esse putamus, exarsit simultas, est omnium gravissima. *Cic. pro Cluent. c. 9. Octavo*, A contemptus qualitate iram incendimus, si hæc observamus, *Primo Modum*, an convicia fuerint adjecta, & contumeliosa verba, an sannæ & dicta falsa affricuerit, *Deinde*, Fraus & insidiæ, dolus & occultæ machinationes mirum quantum generosam Iram cõcitent in majus. Solemus enim vim Leonis potius optare in pugna, quàm astus vulpeculæ. *Postremo* in hisce omni-

mnibus in univcrsum hæc sunt obser-  
vanda 1. *Locus*, quo quid factum. 2.  
*Tempus* utrum nox fuerit an dies, & his  
similes circumstantiæ plures.

§. 2. Exornabit hæc noster eleganter  
per *Hypotyposin*, deinde per *Ethopæiam*,  
per *Indignationem*, *Exclamationem*, *Incre-  
pationem*, *Adbortationem*, *Communicati-  
onem*. *Epiphonemate* nervosè claudere  
noverit.

§. 3. Exstinguitur Ira jam porrò. *Regula-*  
*Generale* monitum est, *Orationem* esse debere<sup>”</sup>  
*sic* compositam, *ejusmodi* motibus exornatam,<sup>”</sup>  
*ut* fiducia & amoris alicuius *spei* ei præbeat<sup>”</sup>  
*ad* quem convertitur. Deinde, compri-  
mimus impetum iræ. *Primo* à Personæ  
contemnentis aut lædentis, cui irasci-  
mur *Qualitate*. Si inferior, dicemus,  
non solere generosum minori irasci.  
*Nobilis ira Leonis est parcere subjectis*. Equus  
generosior paulò non curat latratus  
canum. Si superior, Hesiodo utemur  
qui dixit, duplicem reportare ignomi-  
niam qui cum superiore contendit,

G 3 - - - nam

## 100 ARTIFICII ORATORII

Nam & vincitur & damno afficitur, cui accedit irrisio & despectio. *Amplius* Personam ab ætate, ab officio, à meritis consideramus, à sexu, *si juvenis*, ætatē esse in culpa dicemus, *si Senex*, iis ignoscendum esse ostendemus quod sint venerabiles & putent sibi ob ætatem aliquid licere. Cic. pro Dejot. sic fecit, Vide Senec. de ira cap. XXX. l. III. cap. XII. *Secundo*, à conditione injuriæ ob quam irascitur, quando dicemus *Præus illam esse*, non igitur debere mirum videri, si recidat in nos idem casus. Sic Cicer. pro Cælio c. 2. Facile autem remittimus, quod nos olim commisisse ipsos audimus. *Tertio*, ab externis, ut sunt animi demissio qua generosa ira artificiosè minui potest ferè semper, *vultus miserabilis & corporis totius quædam desperabunda imago*. *Quarto*, à Tempore. Hoc enim omninò cautè attendendum, ne intempestivè quæramus Iram mitigare, cum serenus erit, aiebat Ovid, Cæsar, *vultusque*



*tusque remiserit illos. Qui secum terras imperiumque movent, tunc tempus adest aptum precibus. Vid. Senec. l. III. c. 12. & vid. l. 2. de Pont. El. 2. Quintò, Ab infirmitate lædentis, cum dicimus, ex errore, imprudentia, Ira, ebrietate & nescio quo malo admisisse id quod nobis Iram creavit. Sen l. III cap. 26. Sextò, ab iræ adjunctis & effectis. quæ sunt, fæditas in vultu, os distortum, oculi ardentes & rabiosa dentium collisio, manus tremulæ, mentis alienatio & perturbatio animi detestanda Sen l. 1. cap. 1. omninò adeundus. Postremò, dicemus sapientis esse, iræ maturè resistere Seneca id docebit fusè Lib. 1. de Ira cap. 7. & seqq.*

## MISERICORDIA.

§. 1 Motum animi qui ex consideratione alieni mali oritur, quiq; nos ad eum adjuvandum impellit, *misericiordiã*

G 4

appel-

appellamus Eumque concitamus  
decem potissimum artificijs. Quorum  
*primum* desumimus à singulari hominis  
affectu. Vbi ostendimus, quàm  
nulla ferè tam sit humanaquam hæc af-  
fectio animi, quæ verum illum hominẽ  
demum esse demonstret, qui ea tanga-  
tur. *Lactant. lib. VI. c. 10. ea inquit sola*  
*continet in se vitæ communis rationem.* Deus  
enim qui cæteris animalibus sapientiã  
nõ dedit, naturalibus ea munimẽtis ab  
incurfu & periculo tutiora generavit.  
Hominem v. quia nudum fragilemque  
formavit, ut eum sapientia potius in-  
strueret, dedit ei præter cætera hunc  
pietatis affectum, ut homo hominem  
tueatur, diligat, contraque omnia pe-  
ricula & accipiat & præstet auxilium.  
Summum igitur inter se hominum  
vinculum est Misericordia, quod qui  
disruperit nefarius & parricida existi-  
mandus est. *Quod & Cic. Orat. p.º Liga-  
rio ad Casarem expressit.* Secundo ab ex-  
cellentia & divinitate hujus misericor-  
diæ

diæ eandem concitamus, ut cum dici-  
 mus, nulla re homines propiùs ad Deos  
 accedere, quàm salute hominibus dan-  
 da ut aiebat Tullius l.c. Et *Saluator* cum  
 inquiebat, estote misericordes sicut  
 Pater in cœlis, propriam hanc in Deo  
 & Dei esse docere omninò voluit. *Tertiò*  
 à commemoratione propriæ cladis.  
 Cum enim quisque sit sibi proximus,  
 eò faciliùs hic commovebitur, quo vi-  
 cinius quoque suum sentit esse discri-  
 men. Hoc igitur artificiosè exagge-  
 randum & per *Ethopæiam aut Hyperbolem*  
 expoliendum erit. *Quartò*, A rei ipsius  
 quæ misericordiam meretur, descripti-  
 one & quidem vehementi. Ut sunt,  
*fortunæ locupletis in egenam & calamitosam*  
*immutatio*. Gravissimum enim est mi-  
 seriæ genus, cadere de regno in servitu-  
 tem, nec quicquam intollerabilius esse  
 potest, quàm stipem petere illum, qui  
 ante dare erat solitus. Cic. hoc facit  
 pro Syll. c. 89. & 91. Hodie faceret ali-  
 quis in *Rege Angliæ Carolo II. & Mazarini*

154 *ARTIFICII ORATORII*

*exilio depingendo.* Exornari hoc solet per *Ex. lamationem.* O miserum & infelicem illum! Cic. l. c. Per *comparationem*, cum fortunæ illius diversam faciem componimus & quam illa sit ab hac aut hac ab ipsa diversa ostendimus. *Hei mihi qualis erat quantum mutatus ab illo* Virg. l. 2. *Æneid.* de Hectore. Livius de Horatio l. 2. etiam usurpat & apud Curtium Sisygambis. Vid. & l. 12. c. 17. de Philota. *Quintò*, à Personæ calamitosæ qualitate, & quidem 1. ab *officio* & dignitate, ut Cic. pro Dom. sua fecit, pro Sylla. c. 91. 2. à *Genere* & loco honesto ac divite. Cum regum sæpe filijs mitiùs agunt etiam Tyranni facti memoria sanguinis & ortus excelsi. 1. *Ab ætate*, ut sunt, pueritia, juvenus, senectus. Ubique ostendimus miseriam illã illa ætate reddi indigniorem quàm si sine ea esset: sunt loca ap. Cic. Pison. 84. Virg. l. ix. *Æn.* ap. Liv. l. i. de Coriolani matre. 4. à *causa* quod sc. innocens sit, quod indignus sit ea

sit ea fortuna, quod nunquam nisi optimam meruerit. Hoc exaggeratur, per *comparationem felicitatis improborum cum ipsius infortunio*. Ex qua indubitato nascitur commiseratio. Nam nemo facile vitiosorum felicitatem videt libenter. 5. A *circumstantiis loco, tempore, modo contumelia & iniuria illata*. Hæc enim omnino rem in maius attollunt, quam si absque illis memoretur. Ut cum quis ostenderet bellicalamitatem, diceret, viros religiosos inter media sacra, ante ipsas aras & in adytis templorum esse occisos, laceratos, convulsos, verberatos, &c. Exornandum hoc deinde est per *hypotyposin, per Ethiopiam, per Hyperbolen*. 6. A varietate calamitatum quo enim plura concurrere miseriarum genera ostendemus, eò citius hunc affectum commovebimus, quod nemo facile geminos dolores & mortes præter unam perferre ac subire posse intelligatur. Sunt autem: *Affinium & consanguineorum*

156 *ARTIFICII ORATORII*

*mortes*, quæ orbitatem paulatim inducunt, ubi *Sermocinatio exornationi inservire poterit*. Virg. IX. *Æneid.* de Euryalo  
 Deinde, *afflictiones corporis*, ut sunt, morbi, vulnera & vibices ac luxationes. Cic. Verrin. VII. 158. pro dom. 59. *Inopia s. paupertas, exilium, spoliatio*. Cic pro Rab. 45. pro Muren. 89. Hic nos ipsos solemus ad concitationem majorem accelerandam sæpe per *Exclamationem* in socios ac comites efferre, quod docet Virg. X. *Eclog.* de Gallo & Lycoride & Cic. pro Flacco 104. 7. Est etiam, cum *ab intercessione propinquorum & liberorum* commovemus, cum eorum suspiria & gemitus & miserabiles fletus allegamus, quo Horatij Pater ap. Dion. Halicarn. utitur. 8 Nonnunquam & *Personæ ipsius modestiam & submissam petitionem* adducimus, quod Cic. facit pro Milon. 9. *Deprecatione* vulgò utuntur, eaque per quicquid charum est & pretiosum. Liv. l. XXX. Hist. & Cic. pro Mur. 87.

§. 2. Duo hic addenda sunt. *Prius est*, ut annotentur Figuræ quæ hic dominari solent, quales sunt *Sermocinat. o*, cuius usus est valdè salutaris, ea debet exornari per *Ethopæiam* quod fecit Cicer. pro Milon. c. 94. *Hypotyposis*, quam heic amplificamus per *signa externa doloris*, eaque ob oculos auditori ponimus, qualia sunt: Laceratio crinium, humectatio oris, allisio capitis, mortui imago. *Posterius*, ut triplicem adhibeam hic cautionem, quarum *prima* hæc est: Demus operam, ne querelas personarum, quas querentes introducimus, aut sint fictæ planè aut nimis simulatæ. Hoc enim impedit propositum nostrum. *Deinde* ut graves sint, nec in viris muliebres, videamus. Apud generosum enim Iudicem id nocebit. *Tertio*, Ne habitus oris dicentis sit fædus aut ad squallorem compositus nimis. Quo tetricius & indignius nihil. *Postremo Stylus* sit verbis fractis & mollibus luctuosisque

Regula,

sisque descriptionibus plenus ac ornatus,

### AMOR ET ODIVM.

§. 1. Huc & pertinet amor & ei oppositum Odium. Nam si quem amamus, ei quoque bene volumus, cui autem favemus, eum etiam adjuvam<sup>9</sup>, quem adjuvamus, eum è periculo & calamitate qua possumus ope eripimus atque extrahimus. Latissimi proinde usus est hic affectus, quo alteri bona omnia & conducibila optamus, non tam nostri quàm ejus quem diligimus causa.

§. 2. Eum conc'liamus *Primò*, Ab insita naturæ amandi proclivitate. Cerrum enim est & extra omnem aleam, nihil tam esse naturæ consentaneū, quàm ut homo amet hominem honestè & ex instituto illo naturę tacito atq; legitimo. Quod Plato & Hesiodus agnoverunt, cum antiquissimum Deum finxerunt amorem, & causam auctoremq; rerum



rerum creatarum omnium. *Deinde è*  
Triplici fomite hunc ignem extrudi-  
mus, *ex honesto, ex iucundo & ex utili.* Ex  
honesto his modis præcipuè. I. *Com-*  
*memorati ne virtutum illius,* quem aman-  
dum esse persuademus, ut sunt probi-  
tas pietasque, quarum illa ad vitam ci-  
vilem refertur, hæc ad Deum & ejus  
cultum propriè, *Æquitas* quæ suum  
cuique tribuit, & *justitia* quæ nemi-  
nem lædit, *pulchritudo* ac *Elegantia*  
morum & corporis, quam *vetustas* ap-  
pellabat, *Tacentem commendationem,* id eò  
quod ejusmodi homines vel ad cõspe-  
ctum solum amare & complecti solea-  
mus. *Animi generositas, affabilitas, urbani-*  
*tas* quæ in sermone composito consi-  
stunt, *constantia,* quæ levitati repugnat,  
quàm id eò prosequimur favore, quod  
omne, in amore honesto leve exosum  
esse & ingratum debet. Fuit enim  
nunquam illa vera amicitia, quæ ef-  
se desijt. Et quæ ex illa oritur  
*Fides*

*Fides ac integritas, candorque*, quæ gluten sunt hujus affectus & vinculum. *Secundo* ex jucundo hoc modo. 1. Seneca hic præivit de Tranq. c. vii. Est autem amor mutuus & reciprocus. Nam ut agebat vetus poeta, nihil est suavius quàm redamari. Cic. ad Brut. *Nihil minus hominis mihi videtur esse, quàm non respondere iis, à quibus provocare* & Plin. ad Trajan. *Habes amicos quia amicus ipse es.* 2. Ex quo oritur *concordia*, qua sine amor non potest non esse acerbus & amarus. Nam quod in cibo præstant aromata, hoc in amore exhibet cōcordia. Idem velle & idem nolle, ea demum firma est amicitia, 3. *Communio boni & mali.* Quemadmodum nihil est gratius, quam socium habuisse malorum, ita amanti nihil est suavius, quàm eum quem amat, videre secum idem fubeuntem nonnunquam. Virgil. VIII. Æn. Amicus certus in re incerta cernitur. Amorem miseria probat, probatum ferventius æstimat. 4. *Similitudo*

*litudo & aequalitas.* Illa ad mores, ad studia, ad pericula, ad vitam, hæc ad statum & conditionem generis & officij spectat & dignitatis. Qui rem eandem tractant, arctiùs nectuntur, quàm qui diversè incumbunt, qui simile genus fortunæ experti sunt, firmiter se amplectuntur quàm qui nullum aut certè alienum, & qui superior est, vix poterit amare sine nube inferiorem, ut nec hic istum, quia fiducia non potest adesse tanta, quàm quæ inter æquales, intercedit invicem. *Plin. l. III. Ep. 2. Sidon. l. 7. ep. 7. Plaut. in Aulul. de fiducia agit Seneca Ep. 3. Adi & Ovid. l. 1. Met. fab. 7. 5. Educationis & pueritiæ coniuncta vita & tempus idem.* Nulla altius agit radices amicitia, quam quæ plantatur in pueritia, cum quibus enim pueri collusimus, eosdem in serijs constanter fovemus. 6. *Animus invidia vacuus & laudis alienæ candidus estimator.* Immane quàm sint odio omni digni illi, qui præ livore nequeunt commendare virtutem, contrà  
inæ-

inæstimabilis est animi bonitas sine fraude laudare, quod laudem meretur, eos igitur impensè solemus amare, quos intelligimus absentium nostri mentionem facere honorificam. 7. *Oblivio iniuriarum.* Nam hominem tenacem injuriæ & odij occupare qui potest hic affectus tener adeò & ab omni asperitate remotus. Ex utili, duabus præcipuè machinis movemus. *Beneficiorum adductione*, quæ iterum ut moveat, duo commemoret necesse est & in se habeat, *dare hilariter aut dedisse & deinde non exprobrare*, quod omnem amorem disturbat & convellit penitus. Hæc si adsint, tum beneficia rectè allegamus ad amorem exprimendum. 2. *Gratitudo*, quâ Cic. acutè utebatur Phil. VI. 26. Nam ingrato, cum terra nihil aliat pejus, dicente Menandro, quis eum amplectetur? Qui autem, cum non possit referre, habet tamen agitque gratias & prædicat beneficium, & amatur ipse meritò & commendatur jure.

§. 3. Avertitur & extinguitur hæc flamma ferè iis *Locis*, quos in §. 2. modò adduximus & involvimus, quosq; breviter hic evolvere & explicare est animus. Sunt autem *sex loci* potissimum. *Primò*, Amoris fæditas, quam dicemus oriri ex *voluptate*, quâ nihil est inquinatius, Cic. *Caton. Major cap. 26.* & 2. *Servitus.* Nam nullus liber amat, si quis amare velit. Animus enim quasi devinctus & clavo fixus est cupiditatis. 3. *Rei quæ amatur, impuritas* aut inæqualitas aut parum decora conditio & circa hanc *Fuga.* Nam quò magis assuevimus rei amatae, eò decedit amor altius, fugientem verò longiùs & averfantem facilè capit tædium & oblivio. Legatur Seneca, *Ep. CXIX & CXVI.* 4. *Suspicio*, quam injicimus amanti, ut absterreamus, sunt autem primò *perfidia*, *dolus & simulatio*, Amor frigidus nec sincerus. Nam quem perfidè amare aut simulatè aut obiter intelligimus, eum non potest fieri quin aversemur & odio habeamus. 5. *Rei amatae de-*  
*spera-*

*speratio*, cum dicimus frustra appeti & desiderari, quod obtineri non potest, aut cum demonstramus, *non solum amaturum esse aut amare jam quod petis, alter habet*, aiebat Helena ad Paridem ap. Ovid. 6. *Amoris incommoda*, ut sunt, bellum, pax, injuria, suspiciones, pericula. Plura enim insunt in amote quæ dissuadēt quàm quæ incitant. Fastidium, inconstantia, levitas & quod pejus omni malo est, mutatio amoris in odium quasi letifer ictus est quo amantem conficere Orator prudens potest, quando ostēdit, *quā implacabilis sit inimicitia, quæ orta est ex amore qui prius fuerat*. Idq; comprobet ex emplis, quæ suppetunt satis multa. Brutus erat à Cæsare loco filij adoptatus & interfecit Patrem.

## ODIVM.

§. 1. Hinc jam pullulat contrarius affectus *Odi*, quod concitamus variè & quidem à *Personæ*, quam in odium adduce-

ducere volumus *qualitate*, ubi ostendimus vitia ejus, *imputatam*, *crudelitatem*, *naturæ malignitatem*, *inviliam*, & reliqua monstra istius generis, quæ amare nemo potest, nisi ipse habeat. *Secundo*, à clade & damno illato, quod faciemus *Geminum*, *vel honoris vel bonorum*. Illum calumnia, hæc injuria fori & rapina etiam per subornatos fures illustrant. Qui nomini infidiatur nostro, facile odium meretur, qui bonis inhiat non minus consequitur quam ille qui famæ. Nam hæc vitam orna, illa conservant. Cic. pro Sext. 133. pro Amer. n. 57. *Tertio* à diversitate ingenij & contraria nobis animi affectione. Sine negotio hinc movemur, vel spontè enim currimus & quidem concitato curriculo in hoc stadio.

Ostendendum itaque hic, non posse ibi amorem consistere, ubi sunt animi & mores dissimilimi. *Quarto* ex conversatione civili, quando alicujus *morsositate*, *inhumanitatem*, *salutationis difficultatem*

*tatem vel raritatem, verborum acrimoniam, superbiamque* allegamus, Quintò, Ab incommodis, ut sunt calumnia, de qua supra, contemptus. Non enim contemni se quisquam vult facile. Hic *personas & ledentem & lesum*, ingeniose cõparamus & quidem ita, ut illius *tenuitatem indignitatemq;* huius contra *gravitatẽ & dignitatem* exaggeremus. Cic. IV. in Catili, in Pison. c. 45. Contr. Vatin. VI. Deinde iniurias illas describimus Oratoriè per *Hypotyposin, per circumstantias, exclamationem, Apostrophen.* Sæpè quoq; à nimia potentia quod in aulis crebrò accidit, odium amicitiamq; vel ipsius Principis, cui metui nihil debet, talis a. necessariò est timendus vel ministris reliquis, qui sic plus quàm unius sunt mancipia. Par autem in parem dominium non habet aut imperium. *Quomodo comprimatur, ex Amoris translatione facile apparebit.*

\* \* \*

MEM-



## MEMBRUM QUINTUM.

De

*Verborum Periodorumque Artificio.*

§. I.

**O**Rator inde dictus est quod ita orationem & ejus aptitudinem ac convenientiam sciat adhibere & constituere ipse, prout *Tempori, loco, rei & causa* suæ competere & inservire videbatur. Unde elocutionis certè si non prima nec tamen postrema ei cura esse debet. Ac proinde neq; noster eloquentiæ tyro in ultimis hunc laborem habebit, quanquam ultimo loco tractandum. Nam quid prodesset ista quæ jam benè longo ordine persecuti sumus omnia ac singula scire vel percallere, nisi eloqui aptè & effari ornatè & proferre cum justo verborum decore sciat quoque.

Rest. t

Restat igitur, ut *verbi* primò *absolue* & deinde in *ambitum* que *idam* *constru-  
cta* eadem perpendamus. Scire igitur interest Candidati nostri, ante omnia dicendum esse *aptè* & *convenienter*, quod fiet, si ea verborum congerantur pondera genera que, quæ rei, de qua dicitur, conveniunt & eam strictim describunt. Sunt enim *verba rerum nota*, quæ quid unumquodque sit, demonstrant & quale intus sonet, extrinsecus exponunt atque producant. Cum & *sermo duplex* esse dicatur, is qui intra animum latet & alter qui istum explicat & cum alijs quoq; communicat.

§. 3. Est itaque naturæ verborum ea vis, ut in se aliquid habeant, quo exprimant rem istam, quam designant. Sic *lenia* sunt, quæ rem talem, *gravia* quæ arduam, *inunda*, quæ gratam ipsam re esse testantur, & ut alijs talis videatur efficiunt. Deinde in coniunctione verborum, unde fit *periodus*, itidem tale aliquid occultatur. Nam aliter *brevis*,  
aliter

aliter *longa* aliter *simplex*, aliter *bimembris* & amplius afficit pariter & adhibetur periodus, quemadmodum in sequentibus patebit clarius multo & manifestius.

§ 4. Hinc etiam porro illa *elocutionis varietas* existit atque emergit, ut alia sit *Historica*, alia *Poetica* alia *Oratoria*, alia iterum vel *Comica* vel *Epistolica*, vel *Dialogica*. Inde inquam hoc sit, quod alibi atq; alibi diversa verborum genera & coniunctio diversa eorundem sit verborum. Quod ita fieri necesse est summè, si quidem rei conveniens, quod esse debet, stylus erit.

§ 5. Ut ergo in rem redeamus, quam in fronte statim promisimus, quò *artificiosa fiat elocutio*, de qua tantum agere nostri est propositi, nec enim omnia ea, quæ ad elocutionem spectant, sed eam tantum, quæ ex arte manat, peragere promisimus in initio, *sunt verborum quedam sine, quedam cum affectu*, quedam extra conjunctionem, quedam in illa

H

posi-

176 *ARTIFICII ORATORII*

posita cum motu coniuncta vel gravi vel leni. Ut, *effari*, lenius est quam, *di. ere*, *ambulare* gravius quàm *I. e* seu *incedere*. *Comere* suavius quàm *ornare*, *asper & ferox*, durius quàm, *immitis*. *Truculentus* plenius sonat quàm *crudelis*. In conjunctione mollius sonant, *viriditas nixa fibris stirpium*, *sensim adolescit*, *herba culmo erecta geniculato vaginis quasi pubescens includitur*, & *contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum*. Vbi culmus geniculatus, niti fibris stirpium, includi vaginis, ipsi illi rei molli molliorem quendam sonum circumdant & amœnitatem. Iam verè quàm lenè est & quod quasi herbam depingit, quod sequitur, *contra morsum minorum avium muniri vallo aristarum*? Vbi illa consonantis literæ M. repetitio totam vim facit illustriorem. Quocirca hæc notitia naturæ verborum ita debet esse perspecta oratori, ut nihil supra. Usurpare enim sciet lenia in re leni, duriora in negotio aspero, severa, in re

in re seria & sic in cæteris. Atq; hoc vocamus primò, *aptè eloqui & dicere aptè*. Cum Cic. orat. post red. in Senatum n. i. suaviter perorare animum induxit, sic orditur: *Si P. C. pro vestris immortalibus beneficiis & in me fratremque Æneum liberosque meos meritis parum vobis cumulatè gratias egero, queso obtestorque me meæ naturæ potius quam magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum puteris*. Vbi constructio verborum gravitatem habet & vim maximè & quidem plusquã verba ipsa. Atque hoc dicimus, *Periodicè dicere*. Quòd secundo tenere debet aptè dicturus, *ut periodos sic aptet, prout rem videt requirere*. Brevitas decet jocosa, prolixitas, seria negotia. Sic bimembris & longior convenit gravi generi dicendi, simplex mediocri & quod ad docendum sit fortè accommodum.

§. 6. Porro ratione usurpationis verba iterum sunt vel *propria* quæ in

sede sua naturalis significationis relinquuntur, ut, *arbor, sol, mare, flos, gemma,* vel *Translata,* quæ ab oratore ad aliam rem transferuntur, ut *crescit occulto ævo arbor Marcelli* pro stemmate & profapia, *Imperii nostri Sol omnibus lucet,* *Mare occupationum* vel *miseriarum, flos ætatis, & gemma virtutum pietas, &c.*

§.6. Ratione inventionis alia insuper sunt vel *Novita* vel *Antiqua,* illa finguntur & oriuntur cum rerum origine & incremento, sic *bombardam* & ejus generis nova reperta novis oportet insignire vocabulis. *Antiquata* sunt, quæ succrescente indies majore & meliore dicendi copia visa sunt sequentibus seculis parum nitida & ideò abrogata ferè sunt, ita certè, ut non facilè nec ubi-vis ijs uti liceat. Sciendum igitur, quando & illis & istis commodè utamur. *Novis* tunc utimur, ut vidimus, *Primo* cum res nova est, hanc enim nisi vetus vocabulum adest, novo nominare fas est. *Deinde,* in rebus ludicris & joco-

jocosus non vetitum est ea adhibere, dummodò cum modo & ratione fiat. Est etiam cum *in re medii ævi nec adeò antiqua nec adeò nova usurpare licet.* Ut si quis fingeret vocem, qua appellaret inventum in navi instrumentum, quod plagas cœli & ortum siderum ac positum, ut sic dicam, & speciem ventorum indicat. Quod alii *amuseum*, alij aliter vocant. *Antiquus* locus est in genere dicendi *gravi & seria*, nam quemadmodum omne vetustum est cum veneratione conjunctum ferè, sic & in vocabulis fieri solet, saltem caveatur ne planè obsoleta sint & raucida.

§. 8. *Artificium denique verborum*, quo ad illustrem reddendam orationem, uti possumus, tale est. *Primò* usurpemus verba superlata, *crudelissimus, nobilissimus, clarissimus, fortissimus.* Quod frequentissimè animadvertes in Cicerone. *Deindè* metaphoricis vocabulis commodè densabimus sermonem. Sic plenius sonabit, dicere, *segetem ac*

*materiam gloria sua nemo oderit, viro gravi  
 tempestates & procella in Reipublic. & con-  
 cionum fluctibus multa sunt subeunda. Ter-  
 tia, ut sono & sensu ardua adhibeamus,  
 observemus, ut, Gentes immanitate bar-  
 bara, multitudine innumerabiles, numero in-  
 finita, omni copiarum genere circumfluentes.  
 Quarto, plurativè loquemur in re il-  
 lustri. Parricidas Regum ergo tolerabi-  
 mus hujus infausti seculi cives? Nos  
 oratores visi sumus. Quinto, congeriem  
 faciamus sonoraë orationis i. e. vocum  
 idem penè sed canorè sonantium. Ut  
*cruentum cadaver eiecisti domo, Tu in pu-  
 blicum eiecisti, Tu spoliatum, imagini-  
 bus, pompa laudatione, infelicissimis li-  
 gnis semiustulatum nocturnis canibus dila-  
 niandum reliquisti. Sexto, Epitheta re-  
 ctè & cautè apponantur. His ad illu-  
 minandum sermonem nihil aptius.  
 Cicero id ubique artificiosissimè fecit,  
 ut: P. Lentulus ultor sceleris, pro; ugnator  
 Senatus, defensor vestrae voluntatis,  
 patro-**



*patronus* publici consensus, *restitutor* salutis meæ. Sic *horrida* virtus, *incauta* & *imprudens* clementia, *naufraga* victoria, *splendida* sunt & talem quoque reddunt contextum. *Septimo* ejusmodi Epitheta quoque grandem reddunt sonum, quæ verbalia vocari solent. Ita pleniùs dicerem: *Dominatrix* fortuna, *expultrix* vitiorum Philosophia. *Octavo*, compositio reddit densiorem sensum, ut: *consceleratissimus*, *conturbare*, *constuprare*. *Nono*, verba plurisyllaba gravitatem afferunt & maiestatem orationi. Virg. longa agmina *circumspexit*. Quæ futura ab eo divine *præmuniebantur* & sic de cæteris. *Decimo*, Emphasis comptiorem habentia pro levioribus ponemus, ut pro percutere, *vulnerare*, pro curare, *restituere*. *Vndecimo* copia verborum lumē ingens circumfundit orationi; ut cum descriptione utimur & circū loquimur rem, quæ alias una voce appellatur, ut *Academia*, *Emporium doctrinarū* & litera-

tæ vitæ, *Templa, Dei supremi Numinis focum  
& habitationem.* Duodecimò, per *Hyperbolem* egregiè illustramus verba, ut *Æqualis astris gradior.* Seneca Tragicus. Et denique per *Allegoriam*, ut cum dico: *Fluctuat religio in salo ingeniorum,  
& luxuriantium capitum jaçtatur undis.* Horatius id fecit l. i. oda ad Rempublicam Romanam.

*Buchn.  
de Rer.  
cVerb.  
copia.* §. 9. Ad *variationem* cum accedamus tandem, & viridior, qua ratione sermo fiat, quoque videamus. Aut enim simpliciter affirmat sermo aut negat. Pingendus igitur & crispandus est, quoties ei prodeundum in publicum auriũ theatrum, Id fit his præcipuè modis: 1. *Per dubitationem*, ut: *Amicitiam haud scio, an quicquam vincat præstãtia rerum, quotquot optabilium sunt ac excellentium.* 2. *per Licentiam.* Dicam liberè, Auditores, Reginam virtutum esse pietatem. 3. *per Exclamationem.* O rem infandam & omnibus seculis inauditam! 4. *per occupationem,* quæ

Quærat quispiam quid sentiam de motionibus Iesuitarum? 5. Per *præteritionem*, Non dicam, Taceo, possem afferre, &c. 6. Per *Concessionem*, sit fur, sit sacrilegus, sit Tyrannus, at est bonus Imperator & dubijs reipub. temporibus reservandus. 7. Per *Interrogationem*, Quid amœnius studijs illis, quibus animus exercetur, corpus defenditur, resp. confirmatur? 8. Per *Ironiam*. Quasi verò quicquam cogitando fingi posset perfectiùs Aristotele. 9. Per *subiectionem*. Tristis es? meruisti nempe. Doles? quia sic volebas. 10. per *Admirationem*, quod fit, cum per admirationem dubito vel dubitando admiror. Vt, facinus meherculè infigne & de quo quid sentire debeam, vix assequi animo possum. 11. Per *Sermocinationem*, cum rem illam quam volo exornare introduco floridè, amœnè, vel, si decet, graviter loquentem. 12. Per *Correctionem*. Adjiciat Deus ad cu-

mulum hunc felicitum annorum por-  
rò plures. Plures autem ? imò in-  
finitos plane ac æternos! 13. *Per Apo-  
strophem.* Quid diceret hodie, Rudol-  
fe, si videre daretur tot è gente Austri-  
aca post te florentissimos Augustos ?  
14. *Per Communicationem.* Iudicate vos  
ipsi, an quidquam possit scribi orna-  
tius ?

*Senten-  
tiarum  
locus.*

§. 10. Sæpissimè *SENTENTIIS* utimur  
ad densandam orationem & præcipuè, quoties  
ei *authoritatem gravitatemque* conciliare  
volumus. Est autem *sententia* sermo  
periodicus, qui è sapientiæ pruden-  
tiæque præceptis exstructus rem quam  
persuadere vult Orator, ostendit vel  
virtuti consentaneam, aut quam di-  
suadet, cum vitio esse conjunctam.  
Nonnunquam & è Iuris vel gentium  
vel naturæ vel civilis fontibus depro-  
mi solet in genere præsertim Iudicia-  
li. Circa has cum singulari cautione  
versandam est. Quamvis enim sen-  
ten-

rentijs utamur *tùm in conciliatione* tum  
 quæque *in concitatione* ipsa ( nam utriq;  
 affectui inservit ) præterea & *amplifi-*  
*cationibus* mirè commodæ sint pleræ-  
 que, videndum tamen ne nimis sint  
*Primò crebræ & frequentes* in oratione  
 & imitemur Ciceronem , qui tunc  
 ad earum subsidium recurrebat pro  
 Milone & Dejotaro , cum *aut à cau-*  
*sa aut ab argumentis se desertum sentiebat.*  
 Hæ autem quia habent in se aliquid ,  
 quod vel à virtute vel Iure & consue-  
 tudine, cui resisti inveteratæ haud fa-  
 cilè potest , vim & nervum mutua-  
 tur , vel sola specie movere queunt.  
*Secundò* , cavendum , *ne sint longius peti-*  
*ta.* Debent enim ex intima rei indo-  
 le & constitutione exprimi, quam cla-  
 rius honestiusq; faciēt emicare multò.  
*Tertio* , *Rotundæ esse debent*, i. e. à sano &  
 subacto Iudicio profectæ, graves & ple-  
 næ maiestatis, vel si opus est jucundi-  
 tatis

tatis ac leporis. Sic Musam Græcis ait Horat. dedisse loqui ore rotundo. Sciunt enim & Poetæ & Oratores Græci prudentissimè gnomas componere & exornare. Cicero per iustam periodum & in membra ac incisa sua distinctam tardâ gravitate efferre amat plerumque.

### PERIODVS.

§.II. Postremò agamus quoque non nihil de PERIODORVM artificio. Deprehendimus enim in hoc anxie ac cum difficultate versari ingenia etiam Oratoriæ non insueta.

Quamquam igitur, ut hoc repeta-  
mus, supra §.I. & 4. nonnulla addu-  
ximus de ejus natura & compositione,  
hic tamen planius eadem & fusius do-  
cere placet. Ac proinde habet nomen  
*Periodus ab ambiendo* vel circuitu, estque  
desumpta vox à viis, in quibus sunt recti

cur-

cursus, semitæque directæ & latæ circuitiones & ambitus & per intervalla, distinctæ itiones. Ita & comparatum est cum Oratione, in qua sunt circumlocutiones & tales verborum rerumque coagmentationes, quibus adaptato materiæ ambitu sermo vel fit *tardior* vel *diffusior*, vel fit *strictior ac rotundior*, Nam hoc requiritur in artifice Periodorum, ut noverit ad quamcunque materiam periodum componere. Aliter debet esse constructa in re gravi, aliter in jocosa, aliter in Epistola, aliter in Dialogo, ut vult Demetrius Phalereus de elocutione.

§. 12. Ut hoc sic fiat, tres periodi partes constitui videmus. *Prima* est *Membrum*, *altera* incisum, *Tertia* ipsa illa, quæ Periodus appellatur. Hinc dicere *Membratim*, & *incisim* & *Periodicè* vocamus, cum sic peroramus & sermonem construimus, ut alterum illorum prædominetur & præponderet. Sic

incisim i. e. ut brevia sint quædam mēbra crebriora, invehementibus solemus dicere negotijs. Mixtim in ple-  
risq; , Periodicè, in gravibus & severis. Sic incisim olim *Tull. orat. post redit. n. 13. dicebat*: Cum hoc homine, aut cum stipite, Æthiope, si in foro constitisset, nihil crederes interesse. (*ubi vides brevia illa & contorta membra quæ sunt incisa.*) sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum Cappadocē, modò abreptum de grege venaliu indiceres. *Ibid. n. 56.* Membratim sic loquitur, *cum exiguebas Senatam, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas Tribuno plebis consulatum tuum* (ubi vides longiuscula membra ut verè membra, quæ sententiam singula in se continent) *Rempubl. evertebas, prodebas caput & salutem meam una mercede Provincie.* Quoties quatuor membra constipantur, ita ut Priora duo Protasin, duo posteriora Apodosin complectantur, oratio fit omnium  
nium



itium gravissima, plenissimaque & ferè id in Exordijs usu venire solet, præunte sic Tullio pro *Cacina*. In partitione rei vel dicendæ vel enarrandæ vel increpandæ idem quoq; adhibemus.

§. 13. Hoc igitur vocamus Artificiũ Periodicum, *Primò* scire, quomodo membra, quomodo incisa, & *deinde ubi & quando* sint constituenda, quomodo membra sint *geminanda* & ubi *amplificanda latius*. Quod in præcedentibus clarè & perspicuè demonstravimus. Quibus hoc addi potest, *curet studiosus Eloquentiæ, ut posterior membri pars in fine paulò sit longior tardiorque*. Nam hoc & auribus illabitur plenius & ad gravitatem ac sermonis concinnitatem plurimum confert.

*Tantum de Artificio Oratorio.*

SOLI DEO GLORIA.

Dispo-



*Dispositio Libelli.*

PARS PRIOR

*CAP. I.*

Delectione, imitatione, Scriptione.

*CAP. II.*

De artificio in veniendi. Quod prolixè perque singula explicatur. Præsertim loci Infiti insigniores quomodo huc faciant, ostenditur.

*CAP. III.*

De Artificio disponendi.

*CAP. IV.*

Ad genera descendit, & agit primò.

De genere demonstrativo, & eius disponendi artificio.

De genere Deliberativo, & eius inventione ac elaboratione.

De genere iurediciali, & ejus inventionis ac exornationis artificio.

PARS

[o]

PARS SECUNDA,

MEMBRUM I.

De affectibus in genere;

Continet Monita Generalia circa affectus.

MEMBRUM II.

Per singula genera { Deliberativum  
Demonstrativum  
Membrum 3.  
Iudiciale.  
Membr. 4.

artificium movendi ostendit in primis


MEMBRUM V.

Agit de verbis, ac eorum artificio.

De Periodis, ac earum ornatu.

F I N I S.

WITTEBERGÆ AN. MDCLII°



PARS SECVNDA

DE

DE REBUS IN REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS

DE REBUS


FINIS


WITTEBROG AN D. D. D. D.


DE REBUS



















AB: 87786

ULB Halle

3


002 681 617




Sb.

R

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



CUM DEO.  
TIFICIUM  
TORIUM ME-  
icè ac compendio-  
sè congestum



VARIIS ZU  
*Certim Moruntinis*  
*cura ac studio*  
UÆ ARNDI.



NO CIO IDC LII.  
*Febr. a. d. XVII.*  
ITTEBERGÆ.

